

Johann Hermann Benner   Philipp Christian List


**Dissertatio Inauguralis De Poenitentia Horatii Philosophica Ab Insolito Tonitru  
Provocata Carminum Libro I. Ode XXXIV.**

Gissae: Lammers, 1735


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876140452>


Druck   Freier  Zugang





K. p. - 395 (S.)  
K. p. - 395 (S.)





130  
HORAT. CARM.

Lib. I. Ode XXXIV.

111

**P**arcus deorum cultor & infrequens,  
Insanientis dum sapientiae  
Consultus erro; nunc retrorsum  
Vela dare, atque iterare cursus

Cogor relictos. Namque Diespiter,  
Igni corusco nubila diuidens  
Plerumque per purum tonantis  
Egit equos, volucremque currum:

Quo bruta tellus & vaga flumina,  
Quo styx, & inuisi horrida Taenari  
Sedes, Atlanteusque finis  
Concutitur. Valet ima summis

Mutare, & insignem attenuat Deus,  
Obscura promens: hinc apicem rapax  
Fortuna cum stridore acuto  
Sustulit, hic posuisse gaudet.





*Jo. Herm. Benner. Giesæ. 1735.*

*De poenitentia Horatii philosophica  
ab insolito tonitru prouocata.*

*Carminum Libro I. Ode 34.*

CAPITA RERVM.

- § 1. *Instituti ratio. Decerpitur ex Horatii carminibus, tricesimum quartum, libri primi.*
- § 2. *Ordinis ratio. Quae ad elocutionem pertinent, non seiuncta, sed cum rebus in hac ode expositis, consociata, tractabuntur.*
- § 3. *Tota tractatio duas in partes tribuitur, primoque loco, ipsa de poenitentia, secundo de poenitentiae causa, dispicitur. Illud ad §. usque nonam porrigitur: hoc, a nona, ad ipsum finem.*
- § 4. *Inscriptio vindicatur: cur poenitentiam, cur philosophicam dixerimus, & quare pu-*
- ritatem in isto vocabulo negligamus.*
- § 5. *In consideranda poenitentia, primum de culpa dispiciendum. Culpa vatis in utraque mentis facultate inhaesit. Vis intelligendi sapientia insana laborabat. Exponitur schema rhetoricum, & graecismus ab hac phrasi remouetur. Vis appetendi prauo Dei cultu corrupta erat. Quomodo parcus deorum cultor fuerit? quo pacto infrequens?*
- § 6. *Horatius in epicureorum haeresi fuit. Conciliatur Heinsius Rappolto, Leuitas Horatii*
- tiii

tii in placitis philosophorum eligendis Romanorum philosophia non solida. Argumenta, quibus epicurea secta Horatio asseritur. Primum, ab Epicuro & Aristippo. Quod uterque impie de Deo & senserit, & perperam eundem coluerit. Confutatus viri docti sententia de quodam huc pertinente Horatii loco. Alterum, vestigia esse in hoc ipso carmine, quibus ad epicuri sectam deducamur.

- §. 7. Sequitur post consideratam Horatii culpam, eiusdem agnitio, ac dolor inde perceptus. Quantum pagani tribuerint agnitioni noxarum. Dolor Horatii probatur & illustratur.
- §. 8. Tertium in Horatii poenitentia, quo poenitens spondet meliorem vitam. Phra- sis illustratur: vela dare retrorsum & iterare cursus relictos Quid interpretes hoc loco, praeter mentem Horatii statuunt? Heinsii emendatio, num valeat? Mutatio mentis quantopere inculcata sit ab antiquis. Quid in Horatii mente mutatum sit in melius?

quod nequaquam constans haec emendatio fuerit.

- §. 9. A prima parte, quae poenitentiam descripsit, ad alteram transitur, agiturque de causis poenitendi. Causa est terror incussus Horatio. Quomodo phaenomena naturae possint causa fieri poenitentiae? De vocabulo cogor. Quod omnis poenitentia nascatur e terrore. De vano quorundam veterum timore, quo tempestates horrescebant.
- §. 10. Terroris causa, tonitru insolitum. Quod ab Horatio nunc Deus auctor tonitrus agnoscat; & cur diespiter ei dicatur. Laudantur quae hanc in rem Theophilus perscripsit. Veterum ac recentiorum meditationes, de tonitru existentis Dei teste, recensentur. Poetica tonitrus descriptio illustratur. De iis, quae tonitrum gignant, multi tum, antiqui, tum nostri saeculi homines, commentati sunt. De curru volucris Iovis.
- §. 11. De tonitru praeter naturae leges. Vbi nodus in vocabulo plerumque ostenditur. Fabri, Dacierii, Bangii, Bentleii,





Et nostra sententia. Tonitrus sine nubibus prodigiosa, sed ab epicureis non credita. Vis

tonitrus Horatiani, in tremefacta terra; coniectura nostra de phrasi: Atlanteus finis.

§. 12. De potentia Dei in rebus humanis administrandis, quam poenitens Horatius, occasione tonitrus agnoscit. De phrasi ima summis mutare; quam ex Aristophane arcessimus. De altera: insignem attenuat Deus, quae ex Hesiodo petita. Graevii & Bentleii opinio. An legendum sit insigne pro insignem. Bentleius in partes vo-

catur, ejusque emendatio non admodum certa putatur.

§. 12. Cur Horatius repente tribuat Fortunae, quod paullo ante, Deo tribuerit? Quid sit apex quem fortuna rapiat? variae criticorum coniecturae. Virgilius, Horatius & Claudianus adpellantur, qui hoc vocabulo vsi sint. Quid stridor acutus? Defenditur poenitentis Horatii mens, contra Chabotium, ac de fortuna non nihil e veteribus disputatur. Testimonia aliorum pro excusando Horatio. Conclusio.

De  
poenitentia HORATII philosophica.

§. I.

**F**ERT animus, HORATIO FLACCO pagellas aliquot impendere: non quae doctas per hominum manus volitent, aut terant aetatem, sed ingenium dumtaxat nostrum exercent, cui specimen dandum est, eius, quam bonis in artibus posuerit industriae. Placet autem ex illius poetae libro primo carminum, oden post tricesimam deligere quartam. Haec non modo rerum grauitas, verum ea quoque dictio commendat, quae non vulgaris, sed digna tanto vate putanda sit.

Ve

Vt lectorem, euoluendi molestia leuaremus, oden integram in fronte nostri schediasmatis describendam curauimus, ea fide, quam castigatissimi codices, summorumque criticorum operae, praestiterunt.

## §. II.

Tractandi ratio, si artis rhetoricae praecepta sequamur, eiusmodi futura sit, ut primo *inventionem*, deinde *dispositionem*, tum *elocutionem* consideremus. Verum nos lectorum fatieta- ti potius medebimur, quae facile tractatione tam anxia & ex parte tam ieiuna, creari solet. Utile dulci miscbimus, re- rum praestantiam, & rebus accommodatam phrasin, simul, neque confuse tamen, sed eo potissimum, quem res ipsa sua- debit ordine, proposituri.

## §. III.

Commodissime vero totum hoc negotium expediemus, vbi primo de ipsa *poenitentia*, deinde continuo de caussa, quae poenitentiam HORATII genuerit, non nihil explicabi- mus. Ita namque futurum est, ut praecipua totius odae capi- ta, perlustrare queamus.

## §. IV.

Porro, ne quis vel ipsam inscriptionem nostram cauil- letur, qui *poenitentiam* hac ode contineri dicamus; haud ma- gnopere yeremur. Nam poenituisse FLACCVM alicuius facti, eamque poenitentiam esse caput huius carminis, tum ipsa res manifesto \* loquitur, tum \*\* interpretes, iique non vani, consentunt. Sed *philosophicam* adpellare, necesse fuit. Ne- que enim talis erat, qualem in sanctioribus litteris descriptam habemus, utpote, quae & caussis factioribus debetur, et in se ipsa sublimior est, & effectis multo melioribus ab ista se- paratur.

\* Quod luculentius ipsa rerum tractatio docebit, vbi cuncta, quae ad poenitentiam, sanae rationi debitam, pertinent,

ex ipso HORATII carmine curatius euoluerimus. Sed nec ipsa haec poenitentia satis digna philosopho iudicari debet. Nam ut hoc ei condonemus, quod numen illud supremum *Diespiter* paullo post adpelletur; (nescit enim ratio sine caelesti lumine, diuina nomina) indignam certe superstitionem olet, quod de *Iouis* equis, illico subiicitur; nec *fortunae* tantum tribui debebat, quantum in hac oda eidem permittitur: nisi vim & arbitrium illius DEI quem paullo ante celebrauerat, sub illa figura, & hac voce voluerit occultare;

\*\* Producemus primo vtrumque HORATII *scholiasten*, ACRO-  
NEM & PORPHYRIONEM, quorum ille, hac, inquit, oda significat POENITERE se, *qui, dum Epicuream sectam sequeretur, diis irreligiosus extiterit*. Hic vero eundem ferme in modum: *Hac ode scribit se POENITENTIAM AGERE, quod Epicuream sectam secutus, irreligiosus extiterit*. HERMANNVS FIGVLVS argumento in hanc odam: *libere fatetur se errasse, quod tam impie cum Epicureis de Deo senserit: ideoque MUTATA SENTENTIA REDITVRVM SE IN VIAM OSTENDIT*. Et BERSMANNVS: *POENITERE se profitetur, quod Epicuream sectatus disciplinam, parum religiose Deos coluerit, seque nunc respicientem, eorum posthac amplexurum ait opinionem, qui Deorum prouidentia omnia gubernari putant*. CHABOTIVS, *analysis dialectica huius odae, p. 146*. Sed multo facilius dicemus, praesentem oden esse *μετάνοιαν τὴν αἰσθητικὴν*, quandam respicientiam; respiscit enim poeta, mentemque suam quasi ab insania recipit, dum animum suum instituit ad rectius sentiendum de diis. Plura, in facto manifesto cumulare piget.

Denique, quid latini sermonis puritas in vocabulo *poenitentiae* desiderare possit, hic non magnopere curamus, cum docere magis, quam causam orare susceperimus; quo in genere breuiter & ad sensum vulgarem loqui, quam circumscribere, praestat.

## S. V.

Ab ipsa ut ordiamur *poenitentia*, primo \* *culpa* HORATI, quam poenitendo damnat, inuestiganda est. Hanc non obscure significat, quando se *consultum* \*\* *insanientis sapientiae*, *parcumque* \*\*\* & *infrequentem Deorum cultorem*, tota via aberrasse, profiteatur.

\* Cum *poenitentiae philosophicae* partes duae sint, agnitio culpae cum detestatione coniuncta; & melioris vitae propositum: utrumque de se prodit HORATIUS, qui hoc etiam addit, ut non tacitus modo secum ipse vitium suum agnoscat, sed & publice profiteatur.

\*\* Sed propius inspiciamus eius culpam: utramque mentis suae facultatem accusat: vitiata erat *vis intelligendi ac iudicandi*, erroribus, profanaque sententia sacrilegae cuiusdam sectae.

*Insanientis namque sapientiae consultum*, se errasse conqueritur. Non est negligendum in hac phrasi elegantissimum schema, quod *oxymoron* rhetores vocare solent: *insaniens sapientia*. Sic *facilis saeuitia* est apud eundem HORAT. *Carm. lib. II. od. XII. v. 26. Strenua inertia*, *epistolar. lib. I. ep. XI. v. 28. sectis unguibus acer*, id est, qui *facili saeuitia* utitur, *Carm. lib. I. od. XVII. v. 18.* quamuis ibi BENTLEIUS *strictos*, non *sectos unguis* in orationem HORATII immiserit. Huc refer & *delirans acumen* apud nostrum, *epistolar. lib. I. ep. XII. v. 20.* OVIDIUS eadem utitur figura, quando *fortunam constantem in leuitate* dicit, *Tristium lib. V. eleg. VIII. v. 18.* PHAEDRUS aliquos in otio *negotiosos* reprehendit, bis hac usus figura, *lib. II. fab. V. (aliis VI.) v. 1. 2. 3.*

*Est ardelionum quaedam Romae natio,*  
*Trepide concursans, OCCUPATA IN OTIO,*  
*Gratis anhelans, MYLIA AGENDO NIHIL AGENS.*

B

QUIR

Quin & sanctior spiritus in suis litteris istam elegantiam haud adspernatur, docente SAL. GLASSIO *rhet. sacr. tract. II. cap. VII. p. m. 569*. Sane non multum hinc abit s. PAVLLI filius *1. Cor. I. 25*. Τὸ μωρὸν τῆ Θεῆ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ. *Stultitia diuina sapientior est hominum sapientia.* item *com. 20*. ἐμώρην δὲ θεὸς τὴν σοφίαν τῆ κόσμου τῆς *sapientiam huius mundi Deus in stultitiam conuertit.*

Ceterum an *graecismus* insit in hac phrasi : *insaniens sapientia* ? merito dubitem ; quanquam ita visum sit viro doctissimo , PETR. GVALTH. CHABOTIO, *comment. in h. l.* Tametsi namque sermo graecus id habeat prae lingua latina commodi, vt vno eodemque vocabulo hanc , de qua loquimur figuram, exprimere queat ; neque diuersis vocibus, sed vna, *insanientem sapientiam* depingere consueuerit : tamen, ex vsu latini sermonis vnicuique licebit intelligere, non opus esse, vt, cum duo vocabula res inter se pugnare visas, declarant, ad *graecismum* confugiamus. Consule VECHNERI *hellenolexian, lib. II. cap. XIII. §. 13. p. 382, seq.* Vbi vocem ipsam *μωροσοφος* adnotauit, neque nostrum, HORATII locum praetermisit.

Quaenam vero sit *insana* ista *sapientia*, paullo post §. 6. indicabimus.

\*\*\* Quo pacto in altera mentis facultate, qua res cognitae amplectimur aut auersamur, non minor pestis inferretur, sequentibus verbis expressit : *parcus Deorum cultor & infrequens*. Cum religio, quam natura praescribit, duabus rebus contineatur, *recto de numine sensu, pioque eiusdem numinis cultu* ; in vtroque pessime se gesserat HORATIUS : insanas opiniones de numinis natura & actionibus nutriuerat : vnde fieri non potuit, quin cultum ad pestilentes istos errores accommodaret. Itaque *partes singulas* diuini cultus ( easque non omnes profecto, sed, quas ad qualemunque

lemcunque pietatem necessarias putauerat ) tenuiter, & mediocri studio delibauerat, hoc enim vocabulo *parcus* designauit. Neque tantillum istud pietatis crebro, aut assidue, sed rarius, & vix toties praestiterat, quoties rebus leuissimis aut molestissimis operam dare solemus. Hoc modo *infrequens* deorum cultor exstiterat. Ita *parcus* & *infrequens* non frustra coniunguntur, neque alterum prorsus idem declarat, quod in altero dictum sit. Non est inficiandum, recte id etiam quod raro fit, *parce* fieri, posse dici, sicut *Carm. lib. I. od. XXV. 1.*

*Parcius iunctas quatiunt fenestras  
Ictibus crebris iuuenes proteruis.*

Vbi *parcius* haud dubie est *infrequentius*. Nam protinus adiungitur: *v. 6.*

- - *audis minus & minus iam,*

id est *rarius* in dies singulos. Verum in nostro quem excutimus, HORATII loco, *parcum* idem est, ac *minore* veluti *mensura*, & non larga, sed *parca* manu datum, sicut alibi a nostro *multum* & *parcum*, alterum alteri opponitur, vbi *parcum*, mediocrem rei modum & quasi cumulum, (vulgo *exiguam quantitatem*) denotat, *Carm. lib. III. od. XVI. v. 42. 43.*

- - *multa petentibus*

*Desunt multa, bene est, cui Deus obtulit*

*Parca quod satis est manu.*

Sic & apud VIRGILIVM *parcius* aliquid obiicere, idem est quod *moderatus*, non tam pleno conuiciorum cumulo, vel non tam effusa maledicendi licentia, *Bucolic. ecloga. III. v. 7.*

*Parcius ista viris tamen obiicienda memento.*

Quam philosophorum \* sectam vates noster hac descriptione perstrinxerit, non obscurum est. Omnia conueniunt in \*\* EPICVREOS, qui plurimum prope inter ceteros insaniebant, ac ea \*\*\* praesertim inficiabantur, quae postea FLACCVS, tanquam argumenta prouidae numinis potentiae, commemorat.

\* Ante, quam ipsa de sectae stultitia, quod necesse est, agamus, quaerendum erit, vtrum HORATIVS noster, vnamquam, EPICVRI de grege, pars vna fuerit? Hoc ab HEINSIO, ceteroquin maxime critico, negatum esse legimus. Id quod RAPPOLTO iam tum alienum ac mirabile visum est, Verum nec ille hoc nomine inculandus, nec penitus etiam hic errare censendus est. HEINSIUS vnice addictum EPICVRO, recte negauit; RAPPOLTVS multa cum isto habuisse communia, recte defendit; vbi & ipsum illum criticum testem habet; non aduersarium. A quo bene praeterea id obseruatum est, fuisse FLACCVM ex eorum genere philosophum, qui de singulis, quod placebat, sibi decerperent; ac stipem veluti colligerent ab omnium sectarum magistris; mendicato potius, quam honeste, vel strenue saltim quaesito pabulo, fruentes. Quales tunc plurimi, ROMANORVM erant, ac ipse etiam TVLLIUS, tametsi PLATONIS in verba plerumque iurasse, deprehendatur.

Ceterum haud errauerit, qui aliquibus temporum interuallis, HORATIVM plane ac sincere epicureum fuisse contendet, tametsi alias e porticu multa miscuerit. Vnicum illud de se ipso testimonium, hoc persuadet: *Epistolar. lib. 1. ep. IV. v. 15.*

*Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,  
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.*

Tunc

Tunc sane, cum hanc epistolam scriberet, quod quinto vel sexto post hanc oden compositam, anno factum esse, BENTLEIUS existimat, vni videtur EPICURO fuisse deditus. Sed idem noster etiam locus clarissime omnium docet: vbi se *consultum insanientis sapientiae* profitetur; & ita quidem consultum, vt necesse habeat *retro dare lintea*, ac inde se recipere, quo profectus esset. Certe ROMANIS id infrequens non erat, vt quemadmodum incerto passu per scholas omnes vagabantur: ita certis temporibus in vna prorsus, relictis omnino ceteris, morarentur. Testis sit TREBATIVS, iocose proinde ab ipso M. T. CICERONE quondam increpitus, *ep. ad fam. lib. III. ep. 2.* vnde quaedam lux ad intelligendam insanientem sapientiam adscisci potest. *Indicauit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. O castra praeclara! - - Sed quomodo ius civile defendes, quum omnia tua causa facias, non ciuium? Vbi porro illa erit formula fiduciae, inter bonos bene agier oportet? Quis enim est bonus qui facit nihil nisi sua causa? quod ius statues communi diuidendo, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia voluptate sua metiuntur? quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias Iouem iratum esse nemini posse? Neque enim fieri poterat, vt homines tam sine certis & euidetibus principiis, splendide magis disputantes, quam seuerius meditantes, vnicam veri viam inuenirent. Ipse TVLLIUS tanti quidem hiatus tantaeque famae philosophus, nihil ad graecorum laudem insigne praestitit, sed verum est quod SCALIGER de eo iudicat, *Scaligerian. p. 93. libros omnes philosophicos Ciceronis nihili facio; nihil enim in iis est, quod demonstret & doceat, ac cogat, nihil Aristotelicum.* Itaque non mirum est, HORATIUM prorsus interdum, & ex animi sententia, solo in EPICURI horto conclusum fuisse; idq; fortassis in gratiam quoque MAECENATIS sui, quem EPICUREIS fidem dedisse constat. De quo IO. HENRICVS MEIBOMIUS in*



*Maecenatis vita moribus & rebus gestis, consuli potest. Nolim vero cum clarissimo RAPPOLTO, id quod modo diximus, inde confirmare, quod HORATIUS Epistolar, lib. I. ep. I. v. 18. fateatur*

*Nunc ad Aristippi furtim praecepta relabor.*

Nam ibi vates noster de vnico illius sectae obsequio quam minime, si quid ego video, disputauit. Quin contrarium potius inde colligimus. Nam praecefferat hoc:

*Ac ne forte roges quo me duce, quo lare tuter:*

hoc est: ne quaeras ex me, quem magistrum, quamue domum seu familiam philosophorum sequar: quod enim a libi domum dixit, *Carm. lib. I. od. XIX. v. 14.* id hoc loco larem adpellat, id est sectam philosophorum. Ne igitur quaeretur ex HORATIO, cui se potissimum consecrauisset: occupat ipse quaestionem ac nulli, inquit *magistro* mancipatus sum:

*Nullius addictus iurare in verba magistri,*

*Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.*

Deinde vero ipse capitulatim enumerat, quo modo pro temporis ac rerum conditione vel ARISTIPPVM, qui teste APPVLEIO, *summum in corporis voluptate bonum posuit*, sequatur ducem; nunc

*Virtutis verae custos rigidusque satelles,*

ad STOICORVM disciplinam viuat. Lege ad hunc locum notas BERSMANNI, & quem adpellat iste, ROORTELLVM. Quae porro de philosophia huius poetae notanda sint, inuenies enarrata, dissertatione singulari clariss. BERGERI, quam de *philosophia Horatii, Vitembergae* proposuit.

Iam, quod HORATIUS non aliam hoc loco, quam epicureorum doctrinam, *insanientem* vocauerit *sapientiam*, ostendendum est. Id argumentis potissimum duobus conficiam. Primo si plurimis in rebus insaniunt epicurei, potest

test in eos conuenire quod dixit HORATIVS. Deinde, si post haec verba, multis ipse vates iudiciis, prodidit insana illius sectae dogmata; non tantum potest, sed debet etiam ad illam referri, quicquid culpa ac erroris haec oda detestatur. Quibus si testimonia deinde adiungam eorum prope omnium, qui carmen hoc interpretati sunt: fidem tanto maiorem, vt opinor, sum facturus. Reseruabimus autem haec duo ad not. \*\*\*

Vt ordiar a primo, *insaniens* merito dicitur illa *sapientia*, quae perperam ipso de numine sentit, multaque, eius naturae contraria & indecora, fingit ac docet. Audiamus itaque statorem eius sectae, EPICVRVM, qui multis tamen modis sanior fuit, quam degeneres eius discipuli, quod cum e placitis ac moribus vtrorumque inter se compositis, tum e GASSENDI *syntagmate philos. Epicuri*, perspicere licet. Ne vero moleste repetam, quod in omnibus fere libellis de sententia huius philosophi, quam de DEO tuebatur, enarrari solet: vnum instar omnium audiemus LAERTIVM, qui *νεβλιας διζας*, hoc est, interprete M. T. CICERONE, *breues & electas sententias EPICVRI*; commemorans, hanc primo loco posuit, *lib. X. segm. 139.* Τὸ μακάριον ἢ ἀφθάρτων ἔτε αὐτὸ πρῶτα ἔχει, ἔτε ἄλλω παρέχει. Quod ita CICERO conuertit: *quod beatum ac immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* Atque id ipsum sic interpretatur NEMESIVS, *de hominis natura Cap. XLIV*, vt inde colligat: Δημόκριτος δὲ, ἢ Ηράκλειτος ἢ Επικύρεος, ἔτε τῶν καθ' ἑαυτὸν, ἔτε τῶν καθ' ἑκάστα πρόνοιαν εἶναι βέλονται. Iuuat etiam LAN-  
DINVM super hac re consulere: *Dicebat Epicurus se esse sapientem, qui duobus maxime malis mortale genus liberauerit: metu mortis, cum poneret animos mortales, & metu deorum, cum ostenderet, Deum humana non curare.* Hanc ergo putabat illam sapientiam, quae profecto stultissima res est. Quo nomine,

mine, prope iisdem, quibus HORATIVS vtitur, verbis, EPICYREI reprehenduntur a SALVIANO MASSILIENSI, de *Gubernatione Dei* libro I. pag. m. 7. Et sane inuenire aliquos, qui ab istarum iudicio discrepauerint, praeter Epicureorum, vel quorundam Epicurizantium deliramenta, (ecce insanientem sapientiam Horatii! recte enim contra auctoritatem, codicis *Allobrogis* ita legit CONRADVS RITTERHVSIVS) non possum; qui sicut voluptatem cum virtute sic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt, ut appareat, eos, qui ita sentiunt, sicut sensum Epicureorum atque sententiam, ita etiam vitia sectari.

Quodsi vero non satis manifesta putentur EPICYREI verba, ut eum negasse prouidam numinis curam, exinde colligamus: ne opus quidem erit, ut acrius hic, ista pro re pugnemus. Quid enim RONDELLVS hanc in partem disputauerit, haud ignoramus. Neque tamen ille diffiteri potuit, hanc sententiam EPICYRO fedisse: DEVM non curare caeli vices, meteora, & quae generari corrumpique in rerum natura vulgo soleant: quippe rerum ordinem satis in se virium habere, quibus ista, sine deorum numine, tribui possint.

Quodsi verum hoc est; nec enim ipse dissimulat RONDELLVS: non potest in aliam sectam conuenire vatis nostri querela. Nam eos manifesto reprehendit, quorum insaniens sapientia fulminis ac tonitruum originem ad ipsum numen haud referat; quod ipse statim HORATIVS, in iustissimam illius sectae contumeliam, facit ac testatur: *Diespiter per purum tonantes egit equos.*

Haec EPICYRVS. At vero, si vates noster non illius tantum, sed ARISTIPPI quoque, sicut paullo ante monitum, adsectator fuit: tanto peius illum sensisse, liquet, quanto deterior EPICYRO fuit ARISTIPPVS. Cuius nimirum vita nequaquam digna philosopho, ac sententiae vanitas ne quidē di-

gua

gna fuit hominis praestantia, sicut in *paradoxis* alicubi  
CICERO cum infectatur voluptatem corporis, ex vero lo-  
cutus est. Satis aperte de ARISTIPPO LAERTIVS, *lib. II. segm.*

86. p. 129. Οι μὲν ἔν ἐπὶ τῆς ἀγωγῆς τῆς Ἀριστίππου μέναιτες, ἢ κυρηναῖ-  
κοὶ προσαγορευθέντες, δόξαις ἔχραντο τοιαύταις· ἢ δὸνὴν μὲν τοὶ τῆς σάμα-  
τος, ἢν καὶ τέλος εἶναι, ἔ τὴν κατασηματικὴν ἡδονὴν, τὴν ἐπ' ἀναίρεσει ἀλ-  
γηδόνων, καὶ ὅσον ἀνοχλησίαν ἢν ὁ Ἐπίκερος ἀποδέχεται, τέλος εἶναι Φασί.

*At enim qui Aristippi instituta amplexi sunt, & ab illo Cyre-  
naici sunt appellati, hisce opinionibus utuntur.* . . . *volu-*

*ptatem autem corporis intelligunt, quam & finem esse dicunt,  
non eam, quae in statu sit, & doloris privatione consistat, & ve-  
luti a turbatione omni quietem agit, quam suscepit Epicurus,  
finemque constituit.* Sequentia beneuolo lectori permitti-

mus, operae chartaeque parcentes. Nam addit LAERTIVS  
voluptatem illis fuisse summum bonum, tametsi a rebus  
turpissimis & actionibus fedissimis existat: cum *doloris tan-  
tum amotio* spectata fuerit ab EPICURO. Porro corporis  
voluptates longe quam animi praestantiores esse; Vnde  
factum, vt minorem animi quam corporis curam gesse-  
rint. Iam qui tam inquinatis essent moribus, ac dogmata  
tam feda publice confiterentur, iidem, quid sani de numi-  
ne statuerint, facile apparet; atque hinc etiam magis, quod  
ex ARISTIPPI schola, paullo post atheus ille THEODORVS  
prodiit, cuius e libro, de diis inscripto, EPICVRVM plu-  
rima sumsisse, LAERTIVS eodem loco testatur.

Viso, quid potissimum stulte ac insane de DEO sen-  
serit ARISTIPPVS & EPICVRVS; sequitur vt eandem, in *cul-  
tu numinis insaniam*, inter eiusdem sectae mancipia quae-  
ramus. Hunc in *internum* & *externum* recte dispescimus.  
Internus amore numinis precibus, fiducia & quibusdam a-  
liis absoluitur. Externi pars magna sunt sacrificia. *Amare*  
DEVM haud poterat, qui nullam eius curam ad res huma-

C

nas

nas pertinere, statueret. *Fiduciam* in eius auxilio ac benevolentia non collocat, qui nihil DEO cum quoquam mortalium commercii relinquit. Multo vero minus illum *precibus* compellat, aut vlllo modo suspicit, quem neque gratia neque ira tangi, neque succensere sceleribus, neque moueri vlla virtute, crediderit. Nam talis est epicureorum deus, qui, vt verbis vtar LVCRETHI:

*Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Vix enim adeo generosus est cuiusquam hominis animus, vt solam diuinæ naturæ excellentiam, vnde nihil ipse commodi speret, impense colendam arbitretur, aut ipso facto colat; tametsi dictitasse illud EPICVRVM, & maiestatem sui numinis colendam praecepisse, traditum sit. Quidam hoc etiam EPICVRO tribuunt, vt necessitatem diuini cultus, a metu poenarum, ab ipso deriuatam esse, iudicent. De quo lege BAELII Lexicon, voce EPICVRVS. Neque vero DEI natura talis est, vt a mente quadam inferiori, nisi cui sese fruendam offerat, amorem efflagitet. Atqui, amor diuini cultus mater est. Quamobrem cum amor ille numinis per sententiam EPICVRI fuerit ex hominum gente sublatus: quantillum diuini cultus restare potuerit, hinc facile colligitur. Recte, sicut multa, CICERO, *de natura Deorum lib. I. quamobrem dii colendi sint, non intelligo, nullo nec accepto ab illis nec sperato bono.* Praesertim vero precibus sacrificiis, votisque non multum tribuebant EPICVREI, de quo lege GASSANDVM *syntagm. philosophiae Epicur. p. 168.* Videmus virum quendam doctissimum, haud male ceteroquin de FLACCO promeritum, hanc in rem ista quoque vatis nostri verba commemorasse, quae sunt *Carm. lib. III. od. XXIX. v. 57.*

*Non est meum, si mugiat Africis  
Malus procellis, ad miseræ preces*

De-

*Decurrere: & votis pacisci,  
Ne Cypriae Tyriaeque merces  
Addant auaro diuitias mari.*

Sed parum abest, quin errorem ibi, murice grandio-  
rem, errauerit. Namque istis verbis nihil minus, quam E-  
picuream impietatem prodidit HORATIVS. Stoam potius  
redolet, quicquid & ibi, & in praecedentibus profitetur,  
quod interpretes alicuius notae ac numeri, palam docue-  
runt. Negat enim HORATIVS se lucri causa, mare tenta-  
turum, vitamque suam periculis praesentissimis obiectu-  
rum, vbi suppliciter pro conseruandis mercibus orandum  
sit. Ita iam ACRONI, PORPHYRIONI, ac deinde LANDINO,  
FIGVLO, MANCINELLO, (reliquos piget euoluere) visum est.  
Multo tamen felicius magnus ille BRITANNORVM CRITICVS  
RICHARDVS BENTLEIVS, hunc locum expoluit: *Neque si for-  
te in navi magna tempestate deprehensus fuero, ea causa (quod  
alii solent) deos precibus & votis fatigabo, vt argentum &  
pretiosae merces saluae euadant. Me vero in tali tempore, quid  
sentire putas? quid credis amice, precari? Tum me biremis cet.*  
Legit enim postea *ferat pro recepto feret*; idque tribus co-  
dicibus tuetur, BODLEIANIS duobus, & GALEI, tertio.

Pars magna quoque diuini cultus est, celebrare supre-  
mi numinis potentiam, deque illa non tantum pie senti-  
re, sed honorifice splendideque praedicare. Vide quam  
hic insana fuerit Epicureorum sapientia. Nam illi DEO ve-  
lut exprobrantes, obiiciebant aliqua, in quibus eius po-  
tentia deficeret. Idque in ferociae materiam, vesani ho-  
munculi conuertebant. Quippe, cum facta infecta fa-  
cere, ne diis quidem in potestate foret, ideo praesenti-  
bus fruendum, nullamque voluptatem facile dimittendam  
esse, dictitabant. Id enim quod vsu perceperis, tuum esse,  
nec ab vllō *Deorum* tamen si quis velit, eripiendum. Haec

infantia ex parte fuit antiquior EPICURO, & iam tum a LYRICIS graecorum, velut exquisita quaedam sententia iactabatur: *hodierna curo tantum*; quod innumeris in locis imitatus est HORATIVS. Audiamus vel vnum ANACREONTEM, cuius lacerum corpus HENRICVS STEPHANVS collegit p. 136.

Ἐμοὶ μέλει μύροιςι

*Sed curo delibutam*

Καταβρίχειν ὑπήνην

*Vnguento habere barbam*

Ἐμοὶ μέλει ρόδωσι

*Sed implicare curo,*

Κατασίφειν κάρηνα

*Meos rosis capillos*

Τὸ σήμερον μέλει μοι

*Hodierna curo tantum*

Τὸ δ' αὐριον τίς οἶδαν;

*Quis cras futura nouit?*

sed clarius hanc de se infantiam prodidit noster *Carm. III. XXIX. 41.*

*Ille potens sui*

*Laetusque deget, cui licet in diem*

*Dixisse, vixi; cras vel atra*

*Nube polum pater occupato,*

*Vel sole puro: non tamen inritum*

*Quodcumque retro est efficiet, neque*

*Diffinget, infectumque reddet,*

*Quod fugiens semel hora vexit.*

Quem ad locum scite L. IOACH. FELLERVS, verba PLINII adscripsit: *Nec sibi (Deus ille Epicureorum) potest mortem consciscere si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitae poenis: nec mortales aeternitate donare, aut renocare defunctos, nec facere, ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit, non gesserit, nullumque habere in praeterita ius praeterquam obliuionis.*

Quin igitur *insaniens EPICVREORVM* sit sapientia quod ad internum DEI cultum attinet; dubitare nemo poterit. Fieri autem nequit, ut *externus* in ista gente, DEI cultus, multum valuerit. Itaque LANDINVS & CHABOTIVS ad hunc poetae nostri locum, recte reprehendunt EPICVREOS, quod *sacri-*

*sacrificio per exiguo & raro, colendos esse Deos, censuerint. Quin ipse ridet HORATIVVS opinionem vulgi, quae praesentiam DEORVM in templis & apud sacrificia, sibi fingat; cum ista superstitio IVDÆIS quam philosophis dignior putanda sit; Sermon. lib. I. Satyr. V. v. 97.*

- - - - - Dum Gnatia lymphis  
*Iratis exstructa dedit risusque iocosque:  
 Dum flamma sine, tura liquefcere limine sacro  
 Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella  
 Non ego. Namque deos didici securum agere aeuum  
 Nec si quid miri faciat natura, deos id  
 Tristis ex alto caeli demittere tecto.*

Quae verba prorsus expressit de LVCRETIO:

*Nam bene qui didicere, Deos securum agere aeuum.*

Quod si tantum de sacrilegis paganorum sacris adfirmasset, laudandum potius quam carpendum foret. Sed quoniam ab ipsa natura DEI alienum esse statuit, vt vlllo modo sacris quibuslibet interesse, vel quidquam in illis agere possit aut velit: turpiter sane totum hoc ab illo scriptum est.

\*\*\* Quod si ergo docuimus hucusque, talem EPICVREORVM fuisse philosophiam, vt *insaniens* omnino dici queat: ad secundum nunc adgredimur, & in ipso carmine nostro, sic eam a vate depictam esse monemus, vt nulla prorsus alia intelligi queat a lectore. Nam quod addit de tonitru, de fulgure, de variis rerum humanarum vicibus, quarum commutatio DEVM auctorem habeat, id aperte ostendit, antea per insanum errorem a poeta negatum esse, nunc demum agnosci. Negasse autem illud EPICVREOS, prope in vulgus notum est.

Cumulus his argumentis accedit interpretum quasi commune suffragium, quos & supra §. 4. not. \*\* laudauimus



mus, & nunc in partes nostras facile vocabimus, CHRIST. LANDINVS, fuerat, inquit, *epicureae sectae adstipulator noster poeta, nunc iam grauiori aetate saniori consilio instructus, per quandam palinodiam cantata recantat, & sectam impiam relinquit* HERMANNVS FIGVLVS, ad verba, *insanientis sapientiae, haec adscripsit: doctus & peritus epicureorum doctrinae, quam ipsi quidem sapientiam vocant, cum tamen sit extrema insania. Quid enim stultius & magis impium, quam dicere, Deum non curare res hominum, nec suo consilio mundum gubernare?*

## §. VII.

Inuestigata vatis nostri culpa; proximum est in eius poenitentia, vt culpam istam ab ipso *agnitam & cum dolore quodam publice damnatam esse, videamus. Quin agnouerit \* se peccasse, publiceque id ipsum fateatur; dubitare non potest, qui carminis initium, vel leuiter intuetur. Id autem qui facit, a dolore \*\* & indignatione temperare sibi non potest; nec alia mente, tam grauius HORATIVS IN EPICVROS inuehitur.*

\* Agnoscere noxas, primum est in poenitentibus. Itaque se HORATIVS errasse, non dissimulat.

*Insanientis dum sapientiae  
consultus, erro.*

Quantum vero tribuerint isti homines *agnitioni culparum, quae praesertim non mala mente, sed opinionis errore committerentur, facile doceri potest. OVIDIUS certe poenas deorum auerti credit, quoties peccantes non maligna mens, sed stultitia decepisset. Sic enim Trist. lib. I, eleg. II. v. 97.*

*Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt,*

*A culpa facinus scitis abesse mea.*

*Immo ita si scitis, si me meus abstulit error,*

*Stultaque mens nobis, non scelerata fuit:*

*Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Diui*

*Sin minus; alta cadens obruat vnda caput.*

\*\*

\*\* Satis dolorem suum prodit HORATIVS, cum eius indignatio in publicam confessionem erumpit: quod fieri profecto non solet in illis, qui, post mala facta, sibi blandiuntur. Nam quod esse pudori potest, id vt publice fateamur, haud facile solemus adduci, nisi quid interius mentem stimulet, ac requiescere non sinat. Atque hunc animi dolorem si minus ad noxas abolendas, ad placanda certe numina, multum valere, credebant. Testis & huius erit OVIDIUS, *epistolar. ex Ponto lib. I. epist. 1. v. 59.*

*Poenitet ó, (si quid miserorum creditur ulli)*

*Poenitet, & facto torqueor ipse meo!*

*Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:*

*Estque pati poenas, quam meruisse minus.*

*Vt mihi Di faueant, quibus est manifestior ipse:*

*Poena potest demi, culpa perennis erit.*

*Mors faciet certe, ne sim, cum venerit exul:*

*Ne non peccarim, mors quoque non faciet.*

*Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta*

*De niue manantis more liquefcit aquae,*

*Estur vt occulta vitiata teredine navis:*

*Aequorei scopulos vt cauat vnda salis:*

*Roditur vt scabra positum rubigine ferrum:*

*Conditus vt tineae carpitur ore liber:*

*Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,*

*Fine quibus nullo conficiantur, habent.*

*Nec prius hi mentem stimuli, quam vita relinquent:*

*Quique dolet citius quam dolor ipse cadet.*

*Hoc mihi si Superi, quorum sumus omnia, credent:*

*Forstán exigua dignus habebor ope.*

Porro dum in epicureos tam acriter HORATIVS inuehitur, id hoc certe loco nequaquam satyrice eius ingenio tribuendum est, quo sectas omnes frequenter exagitavit, sed men

ti non leuiter ad resipiscendum commotae. Quod facile cognoscit, qui sanctiores sententias, de prouida numinum cura, de vicibus rerum humanarum, a solo deorum arbitrio pendentibus, quas illico subiicit idem poeta, considerabit. Quo autem pacto suam indignationem clarius ostendere potuit, quam ubi detestatur illam sapientiam, quae causa tam profani furoris exstiterat? Certe seipsum palam accusat, pareum deorum ac infrequentem cultorem: quod antea sibi minime probrosum iudicauerat, nunc vero coelesti fulmine quasi collustratus, *insanientis* esse, ac in ipsum numen iniuriosi profitetur. Iamque vere dici poterat e PYTHAGORAE praescripto viuere, qui virum *bonum ac sapientem*, isto animo esse iubebat, sicut ex AUSONII *Idyllio XVI* discimus  
v. 22.

*Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honesto  
Cur malus antetuli? num dicto aut denique vultu  
Perstrictus quisquam? Cur me natura magis, quam  
Disciplina trahit? sic dicta et facta per omnia  
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta reuoluens,  
Offensus prauis, dat palmam & praemia rectis.*

## §. VIII.

A culpa HORATII transimus ad eam poenitentiae partem, qua se ad frugem \* rediturum esse pollicetur: neque enim satis erat profiteri crimen ac detestari, sed \*\* animum pariter ac vitae rationem in melius \*\*\* vertere decebat.

\* v. 3.

- - nunc retrorsum

*Vela dare, atque iterare cursus**Cogor relictos.*

Notanda erit primo loco *periphrasis* mutati consilii; quae quidem a nautis manifesto petita est. Namque cum illos euentus ipse docet errasse, repetendus est cursus, tunc maxime, si ad locum periculi plenum forte adpulsi sunt. Ibi, sicut

sicut VIRGILIUS loquitur, nihil magis necesse est quam

*Linquere pollutum hospitium, & dare classibus austras.*

In sacris litteris, qui ad sectam aliquam inconsulto impetu transeunt, *ventis agi*, dicuntur. *Ephes. IV. 14.* κλυδωνιζόμενοι & περιφερόμενοι παντί άνέμω τής διδασκαλίας. *Iactati & circumacti quolibet vento doctrinae.* Quorsum & alluisse videtur S. PAVLLVS *Galat. II. 14.* Ορθοποδοῦσι recto velo contendunt, & *Cap. I. 6.* μετατίθεθε eis ἕτερον εὐαγγέλιον, *transferimini ad aliud euangelium.*

AD HORATIVUM vt reuertamur, ille *retrosum dat vela, iteratque cursus relictos.* Non est necesse, vt interpretes huius loci, presso vestigio sequamur. Nimis enim inhaerent verbis, vbi credunt, HORATIVUM ad sectam aliquam hic respicere, quam prius ipse, tanquam transfuga, reliquerit. Certe leuitatis eius insimulatur ab ISAACO CASAVBONO, praefat. in PERSIVM: *Passim enim in aliena transit castra non tanquam explorator, sed tanquam transfuga. Saepe stoicum dicas: saepe Epicureum aut Aristippeum, saepe vero de Anyti & Melivi aut Aristophanis gente prognatum.* Tamen si factum hoc esse potuit, his certe verbis non indicatur. Nam *retrosum vela dare* est, recedere ab eo loco, quem errore viae petiuimus: *iterare cursus relictos*, est viam confectam relegere, postquam expertus sis, cursu non recto te contendisse ad metam. Qui relictos cursus iterat, non ideo, ad ipsum, vnde solueret, recurrit locum, sed magnam partem viae frustra iam confectae, remetitur, donec certiozem itineris indicem nactus, eo veniat quo primum instituerit. Quamobrem relicta tantisper insania, ad sententiam vel *stoicam*, vel *platoniam*, vel meliorem certe, ac vndique decerptam, se recepit; sed an illam antea iam tum defenderit, hoc nimirum loco non indicat. Quod si vates addidisset locum ipsum, ad quem repetito cursu tenderet; non foret du-

D

bium

bium quin sectam a se prius desertam in animo cum ista dixit, habuisset. Nam sic est apud VIRGILIUM de loco antea relicto, posteaque reuisendo: *Aeneid. III. v. 143.*

*Rurfus ad oraculum Ortygiae Phoebumque, remenso  
Hortatur pater, ire mari.*

Quicquid illud sit, de quo non valde pugnamus, non est hic nobis praetermittenda NICOLAI HEINSII emendatio, qui, BENTLEIO teste, ad oram sui codicis adscripsit: *cursus relectos*. Nunquam fere splendidius, quam hoc nomine, laudatus est ab illo, quem diximus, ANGLORVM critico; qui *praeclaram* hanc emendationem vocat; ipsumque eius auctorem, *unicum poetarum latinorum sospitatorem* praedicat. Equidem, ita pergit BENTLEIVS, *quod sancte asseuerare possum, ipse quoque in eandem correctionem multo prius incideram, quam ab Heinsio eum didici. Neque tamen ulla parte obsto, quin solidam hanc sibi laudem habeat vir magnus. Habeat illam sane, seruetque sepulchro, qui nunquam satis digne laudatur. Videbimus tamen, quid exinde melius discere possimus, si nobis hanc veniam indulgent alterius manes, alterius ultra vulgum posita doctrinarum amplitudo. Primo dolendum est, tam elegantem coniecturam, ne vnus quidem codicis suffragio probari. Quicquid est vbique membranarum, quicquid chalcographi exciderunt, id omne relictos exhibet, non relectos cursus.* EYRICHES grammaticus repetit: interpretes inculcant omnes. Verum, esto, nihil hoc officere tantorum virorum ingenii: neque enim tam abiecto debemus esse iudicio, vt vbique pluris habeamus aliquot codices, multis post HORATIVM saeculis exaratos, quam ipsius poetae, linguaeque latinae genium, qui talibus in viris insidet, & paucissimis praeter illos propitius esse potest: ipsa tamen dictio non plane talis est, quae prae altera se magnopere commendet: *Relinquere cursum*, ideo non placet BENTLEIO, quoniam

quoniam *spatia, vias, vestigia, maria*, at non *cursum* relinquere dicamus, propterea quod *cursum non ipsa via sit, sed per viam decursio*. Est haec non contemnenda ratio: neque facile reperias inter scriptores latinos, qui *cursum* pro *via* posuerit. *Curriculum*, modo pro vehiculo, modo pro ipsa *decursione* usurpari, certum est. Lege si vis CHABOTIVM ad HORATII *oden I. lib. I.* Sed *cursum* pro *spatio decursio*, vel nemo vsquam latinus, vel vnicus hic locus FLACCI, vel aliqua poetarum licentia defenderit, qui vocabula solent vicina inter sese permutare. Fac autem id falso credi; nam facile largiemur: an est aliquis e LATIO, vel in numero vatum, vel extra illum, probatus scriptor, cui *cursum* *relegere* placuerit? Qui omnes scriptorum angulos peruadere solet, BENTLEIVS, nihil hic scrutando exquirere potuit, quod istam coniecturam adiuuet. OVIDIVS *filium relegit*, VIRGILIVS *litora*, STATIVS *iter & pontum, vestigia* CLAVDIANVS, reliqui *flexus, vias, campos*. *Cursum* nemo *relegit* praeter vnicum PRVDENTIVM, & comitem PAVLLINVM. Quorum, quanta sit ad latinitatem HORATIANAM id est auream, ex aevo tam inclinato, vis auctoritas, penes iudicem esto.

Deinde, non satis liquidum est, quid sibi voluisset noster, si *cursum* *iteraret*, qui iam *relecti* essent, id est, *iterati* iam & *repetiti*. Vidit hoc BENTLEIVS: itaque *iterare relectos* idem esse, ait, quod *relegendo iterare* quod *genus loquendi sit poetis frequentissimum*. Non est quod hunc *usum loquendi* sollicitemus. At *relectum iterare* nunquam ita coniungi videas. Vix igitur HORATIVS verba tam inusitata suis chordis sociavit. Quae si non ita sibi iuncta forent, aliam quoque rationem inire liceret, quae *relectos*, pro *relegendos* accipi, doceret. Hanc enallagen graecis quoque scriptoribus non ignotam esse, clarissimus CREYGHTON & ELSNERVS ad *Iacob, I 21*, monuerunt. Sed quo tandem fini-

am, nihil erit antiqua lectione commodius. Nam vates non iterat *cursum relictos*; hoc est, ( si *cursum* necessario pro decursione ponitur ) *cursum* repetit, quo se defunctum esse credebat: quem semel confectum ita reliquerat, ut nunquam de illo remetiendo cogitasset, nisi tonitru ac fulmine reuocatus. Cur enim *cursum*, id est *nauigandi labor* non recte dicatur relictus, *post tergum quasi relictus*, & semel, magno conatu peractus? Forsan id voluit PORPHYRION ad verba: *iterare cursum relictos cogor: non instaurare, sed ad eandem redire*. Ecce alium HORATII locum, ubi *relicta repeti* dicit, quod in praesenti loco est *relicta iterare*. Atqui in utroque sermo est de mutanda vitae ratione: *epistolarum lib. I. epist. VII. v. 95. 96. 97.*

- - - vitae me redde priori.

*Qui semel aspexit, quantum dimissa petitis  
Praesent, mature redeat, repetatque relicta.*

\*\* *Mutationem animi* valde urgebant philosophi, si quis vere serioque resipiscere vellet. Aliter si fieret poenitentiam simulatam ac minime probandam, existimabant. Idque suadet ipse ratio. HORATIUS certe, mentis errorem, ac sinistrum de DEO sensum cultumque, primo exturbat, ac diuersa omnia se postea crediturum adfirmat. Itaque alibi, vitiorum ipsa, quae sunt in mente, semina deleri cupit, si vera credi debeat emendatio; *Carm. lib. III. od. XXIV. v. 50.*

- - - Scelerum si BENE POENITET;

*Eradenda cupidinis prauis sunt elementa.*

Legi possunt in hanc rem, quae GROTIUS ad *Matth. V. 27. e* SENECA, ARISTOPHANE, IUVENALE, OVIDIO, notauit, qui omnes peccatum non actionibus, sed praua mentis cupidine censendum esse monent; e qua sententia necessario nexu consequitur, ut ipsa hominis emendatio ducatur ab animo: tunc enim, ut ait HORATIUS, *Scelerum bene poenitet:*

quo

quo vocabulo utitur in eadem caussa P. OVIDIYS NASO de ponto, *lib. I. epist. I. 57.* quem locum doctissimus etiam VVITSIVS laudavit exercitatione singulari *de theologia gentili-um in negotio iustificationis, miscell. sacr. tom. II. exerc. XX. §. 5.*

*Saepe leuant poenas ereptaque lumina reddunt,*

*Cum BENE peccati poenituisse vident.*

Quod igitur operosa caerimonia, quidam ad numen placandum vterentur, id saniores inter paganos, haud vnquam adprobare potuerunt.

Quin animum potius castum & purum requirebant; paupere cultu & sacrificio deos contentos esse, non sumtum, sed sensum offerentis spectare, inculcabant. Verum & ipsos *Epicureos* hac, verissima ceteroquin sententia, abusos esse, quidam observant: illi namque *exiguum & modicum* sacrificium praecipiebant magis fortasse ad alienandas a cultu diuino mentes, quam ad augendam purae mentis innocentiam, quae porcis ex illo grege inesse nunquam poterat. Consule CHABOTII annotata ad praefens HORATII carmen. Ipsam illam animi castitatem sine sumtuoso sacrificio, alibi commendat noster, *Carm. III. od. XXIII. v. 17.*

*Immuns aram se tetigit manus,*

*Non sumtuosa blandior hostia*

*Mollinuit auersos penates*

*Farre pio, & saliente mica.*

Quem ad locum plura cumulauit, FELLERVS, pag. 1290. quae repetere, nihil attinet, cum SENECAE PLINIIQUE scripta manibus omnium terantur. Sed non bene vir doctus consulit HORATIO, cuius fere sententiam eneruat, vbi versu secundo *nae pro non* legit, & *hostia sumtuosa* sexti casus esse putat, praeunte sibi, sed gressibus non admodum rectis, praeceptore DRVMIO. Ceterum haud ignotum est, quod resipiscentes, animi sui studium pium atque sincere-



rum, sacrificio declarare, gratiamque sibi laesorum ita  
numinum conciliare consueverint. OVIDIUS *Fastor. V. v. 299.*

*Saepe deos aliquis peccando fecit iniquos.*

*Et pro delictis hostia blanda fuit.*

\*\*\* Quam ad frugem se receperit poenitens HORATIVS,  
vel vt barbare dicam, quis fuerit *terminus ad quem* huius  
poenitentiae, quaeritur? *Terminus a quo* (vti loquuntur)  
est *insaniens sapientia; & intermissus Dei cultus.* Igitur iam  
transit HORATIVS primo ad studium scrutandi naturam di-  
uinam, eiusque bonitatem, potentiam, iustitiam, in con-  
seruatione ac gubernatione rerum, tum vniuerse in hoc  
mundo, tum nominatim hominum, & actionum, quibus  
humana consilia & labores occupantur. Huc pertinet  
praedicatio *potentiae Dei fulminantis ac tonantis: v. s.*

*namque Diespiter*

*Igni corusco nubila diuidens,*

*Plerumque per purum tonantes*

*Egit equos volucremque currum:*

*Quo bruta tellus & vaga flumina,*

*Quo styx & inuisa horrida Taenari:*

*Sedes, Atlantaeusque finis*

*Concutitur.*

Iam DEO tribuit quod EPICVREI ad vires naturae fortuitas,  
vel ad casum referebant; iam tellus, flumina, STYX, TAE-  
NARVS, ATLANTEVS finis ad potentiam numinis contrem-  
mescunt, cum in EPICVREORVM grege Deus ille potentif-  
simus nequaquam agnosceretur.

Porro similem DEI potentiam ac sapientiam agnoscit  
in rebus humanis, v. r 2.

*valet ima summis*

*Mutare & insignem attenuat Deus*

*Obscura premens: hinc apicem rapax*

*Fortuna cum stridore acuto*

*Sustulit, hic possuisse gaudet.*

Alte-

Alterum ad quod HORATIVS poenitendo transit, negligentiae cultus diuini opponitur: illius enim se ipse insimulauerat, iam adeo non parcus est DEI cultor, vt potius altera pars huius odae pro hymno reputanda sit, quo infinitam DEI potentiam ac sapientiam publice, ad omnem posteritatis memoriam decantat. Sed quemadmodum philosophica poenitentia parum valet ad veram vitae correctionem: ita de HORATII conatu non aliter statuendum. Transit e statu quem *securitatis* adpellant, in statum *seruitutis*, quae superstitionum secunda mater est, sicut illa prior, atheismi. Praeterea, vt peccata per veram poenitentiam profligata, interdum habent regressum: ita neque constans id HORATII propositum erat: sed ille malignus eum ARISTIPPVS, in voraginem impietatis suae resorbibat. Testis ipse, de cuius poenitentia loquimur, *epistolar. lib. 1. ep. 1. v. 18.*

*Nunc in Aristippi furtim praecipua relabor.*

Quem locum si nolis de impietate huius hominis, quae curam DEI prouidam negabat, exponere; quia statim sequitur

*Et mihi res, non me rebus, subiungere conor.*

Libri tamen HORATII, quos post hanc poenitentiam edidit, nimium multa, hominis corruptissimi, & nihil potentiam DEI reuerentis, indicia tantum non vbiq; produnt.

§. IX.

Haec de poenitentia. Superest, vt ad causam<sup>\*\*</sup> eius progrediamur, quae maximam huius odae partem conficit. Mouebat<sup>\*\*</sup> igitur poetam, & ad frugem redire iubebat, terror<sup>\*\*\*</sup> quidam animi, quem visa fulmina, ac audita simul tonitrua incutiebant.

Per poenitentiam, siquidem vera sit ac diuina, transitur e statu corrupto ac misero, ad conditionem sanctam atque beatam. Idem de sua poenitentia iactabant quoq; philo-

philosophi. Nam *innocentem esse, quem peccati poeniteat*, tametsi criminibus antea se multis obstrinxerit, SENECAE tragici nota vox est & sententia. Quod si diuinae misericordiae adpellatio accederet, tum demum placari sibi numina, certo confidebant. Vnde illud ἰλαθῆ μοι, κλυθι, ἔρχε ἴλαος. Sic propitius, exaudi, veni propitius; quod postremum plane expressit HORATIUS *Carm. I. od. XIX. v. 16. Macerata VENIET LENIOR hostia*. Consule illustrem virum EZECH. SPANHEMIVM, notis ad CALLIMACHVM p. 751. *Consueti nempe, uti fidelium, seu veri Dei cultorum, scuti publicani ad Christum Luc. XVIII. 13. ἰλαθῆ μοι, ita etiam in gentilium seu Orphicis seu Homericis vel Homeridarum hymnis precandi formula, ἴλαθι, κλυθι, ἔρχε ἴλαος cet.* Vnde liquet, hanc fuisse poenitentibus paganis persuasionem, quod sanctiores fiant, deoque cariores, id est beatiore, poenitendo. Sanctos & beatos esse, ratio recta dicit eos, qui amicitiam colant cum numine supremo. Eam vero colere non potest, nisi qui DEVM amet; amare nequit nisi qui leges ab illo praescriptas obseruet, suamque mentem cum illius voluntate sanctissima conspirare iubeat. Est autem illa DEI voluntas, ut ipsum potissimum agnoscamus, & qualis sit tum in se ipso, tum erga nos homines, magis in dies singulos discamus. Vnde plurima deinde nascuntur officia. Sed agnosci Deus non potest, nisi res illas intueamur, quibus excellentiam naturae suae velut in tabula depinxit. Res illae sunt totum hoc vniuersum, & varia, quae in illo cernuntur, effecta atque *phaenomena*. Quae si consuetis naturae legibus eueniant, bonitatem sapientiam, potentiamque numinis loquuntur: sin praeter naturae leges, nobis per experientiam obseruatas, accidant, eadem de numine testantur, sed cum aliquo terrore vel admiratione spectantis. Qualia erant fulgura ac tonitrua, quae

quae HORATIO poenitentiam imperabant. Neque enim fieri posse credebat, vt caelo puro tonaret. Itaque stuporem ac stultitiam vatis nostri, quam non ipse quidem dissimulat, hic merito arguimus, dum ad agnoscendam DEI naturam, & ad officia sua inde deriuanda, ostentum aliquod de caelo expectet, ac non potius prouidam numinis curam ex immensa illius bonitate, potentia, sapientia in rebus obuia, & ex imbecillitate rerum huius mundi, iam pridem didicerit; ac dignas tanto numine laudes decantarit. Namque docebat hoc illum, ( vt reliqua taceam, ) adspectus caeli quotidianus, nec opus erat tam diu insanientem sequi sapientiam, donec tonitrua stuporem excuterent. Quanquam nunc quoque tempus erat opportunum poenitentiae, si modo vera & constans fuisset. HORATIVM vero ex eorum fuisse numero, quos, vt ait CVRTIVS, modo consilii, modo poenitentiae poenitet, ipsius docent verba *lib. 1. Sat. 5.*

*Namque Deos didici securum agere aeuum:  
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id  
Tristes ex alto caeli demittere tecto.*

\*\* Cogor, inquit, iterare cursus relictos. Qua voce causas ad respiscendum, se grauissimas habere, fatetur. Namque, cum rationis iudicio fortiter impellimur, ad aliquid amplectendum aut detestandum, tunc animus dicitur cogi, vel obligari, ad ea quae suadet mens, efficienda. Proposita voluntati necessitas, quam vis intelligendi, iudicandique statuit; eandem vere cogit, & quauis catena vehementius trahit atque constringit. OVIDIVS vtrumque vocabulum, *cogi* vel *obligari* pro eodem vsurpat. Nam iussu caesaris ROMAM exilio mutans, metu se cogi dicit, ad nauigandum, *Trist. lib. 1. eleg. III. v. 105.*

*Nos tamen Ionium non nostra findimus aequor*

*Sponte, sed audaces cogimur esse metu.*

Caesaris imperium, vel metus iubentis, eum cogit: alibi  
*Trist. lib. I. eleg. 2. v. 83.* se iisdem iussibus, obligari dicit:

*Obligor, ut tanquam saevi fera litora Ponti,*

*Quodque sit a patria tam fuga tarda, queror.*

Hoc ideo monemus, quoniam in sacris quoque litteris, vocabulum *cogendi*, prorsus eadem notione legitur. Nam si *coguntur* hospites ad instructam a DEO coenam venire, *Luc. XIV. 23.* ἢ ἀνάγκαστον εἰσελθεῖν, non vi certe violenta trahuntur, quam corporibus captorum aut deuictorum adhibemus, sed argumentorum pondere; precibus ingeminitatis, & si quid est aliud praeterea, quo mentes flectere possimus. Sic HORATIUS precibus aliquando se coactum esse dicit, *epistolarum lib. I. epist. IX. v. 2.*

*nam cum rogat, & prece cogit*

*Scilicet, ut tibi se laudare & tradere coner.*

Itaque, cum auctoritas philosophorum antea coegisset HORATIUM: nunc ab ipso DEO se coactum esse fatetur: sed ita coactum, ut mens, naturae tantis operibus attenta, prorsus conuinceretur, & acquiesceret in eo, quod illa, magistra tam insignis & excelsa, docuisset.

\*\*\* Poenitentia omnis a terrore inchoatur; qui primo seruilis, postea salutaris est in illis, qui diuina ope resipiscunt. E sacris equidem litteris, tonitrua de monte SINAI, hoc omnino vereque perficere constat, quod inanis HORATII poenitentia fragoribus coeli adscribit. Quanquam & portenta non nunquam ad hoc valuerint, quod exemplum s. PAVLLI confirmat. Excitatur autem ille terror, conscientia male factorum, quae mens nostra recenset, statimq; ad iustitiam diuini numinis exigit. Atque illud est, quod de gentibus extra DEI ciuitatem, adfirmat PAVLLYS, *Rom. II. 15.*

συμ-

συμμετρήσεως αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, ἢ μεταξὺ ἀπλήλων τῶν λογισμῶν κα-  
ταγεράτων, ἢ ἢ ἀπολογυμένων. Est autem singulare quiddam in tre-  
mendis illis coeli fragoribus, quo mens humana terreatur, v-  
tique male sibi conscia. Nam, qui mortem, & quae post  
eam sequuntur, exhorrescunt, eadem formidine tonitrua  
pauent, quae proxima sunt & praesentissima mortis, sum-  
morumque periculorum causa. Non nihil & superstitio  
ad pauorem addidit, quod procul abest a bono viro. De  
TIBERIO circa DEOS ceteroquin & religiones negligentiore,  
tamen id in eius vita notat SVETONIUS, cap. LXIX. *Tonitrua  
praeter modum expauescebat, & turbatiore coelo, nunquam  
non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari nege-  
tur id genus frondis.* Idem de CALIGULA Cap. LI. *Non immeri-  
to mentis validitudini attribuerim diuersissima in eodem vitia, sum-  
mam confidentiam, & contra nimium metum. Nam qui deos  
tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura conuiere,  
caput obuoluere, ad vero maiora, proripere se e strato, sub lectum-  
que condere solebat.* Cuius insana tamen in eodem genere li-  
centia, interdum eminebat, si DIONI credimus. Plura ex-  
empla cumulare nihil attinet. Veteres certe, cum tona-  
ret, aut fulgeret, aut terra moueret, continuo pro mu-  
tua salute diis vota fundebant; sicut ex PHILOSTRATO se  
didicisse fatetur ISAACVS CASAVBONVS ad SVETONII CALIGULAM  
Cap. LI. Quod etiam e SYNESII epistolis perspicere licebat.  
Prae ceteris fulmina ac tonitrua metuebant, periuri ac foe-  
disfragi, in quos illa tanquam deorum tela immitti crede-  
bantur. Consule TVRNEBI *aduersaria, lib. XXV. cap. IX.* qui  
ex HOMERO, VIRGILIO, LVCIANO & ARISTOPHANE id osten-  
dit. Addimus PROPERTIVM, qui ARISTOPHANEM videtur i-  
mitatus. Nam verba graeci poetae, quae sunt in *Nubibus*,  
v. 398. p. 75. edit. Kuster. τῶτον γὰρ δὴ Φανερώς ὁ Ζεὺς ἴησ' ἐπὶ τῶν  
ἐπιόχων, hoc enim plane Iupiter in periuros mittit: haec inquam

comici verba, sic expressit lepidissimus PROPERTIUS, lib. II.  
eleg. XIII. v. 47.

*Non semper placidus periuros ridet amantes  
Iupiter, & surda negligit aure preces.  
Vidisti' moto sonitus procurrere caelo,  
Fulminaque aetherea dissiluisse domo?  
Non haec Pleiades faciunt, neque aquosus Orion,  
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.  
Periuras tunc ille solet punire puellas,  
Deceptus quoniam fleuit & ipse Deus.  
Quare ne tibi sit tanti sidonia vestis,  
Ut timeas, quoties nubilus auster erit.*

Ceterum inanes tempestatum metus dicaci versu persequitur IUVENALIS Satyra XIII. v. 223.

*Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,  
Cum tonat: exanimis primo quoque murmure coeli;  
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed  
Iratu cadat in terras & iudicet ignis.*

J. X.

Caussa illius terroris erat tonitru, quod HORATIVUS contra EPICURI sententiam, auctori \* DEO tribuit, ac poetica \*\* descriptione prosequitur.

\* Tonitruum primo auctorem agnoscit DEVM: quod epicureus paullo ante, nequaquam credebat. Quare dum id ingenue profitetur, sectam epicureorum hoc vocabulo perstringit: namque Diespiter. Nihil est apud poetas frequentius, quam caeli tempestates, pluias, fulmina, tonitrua, ad IOVEM referre. VIRGILIUS Aen. I, v. 233. VENEREM inducit, quae IOVEM ita compellat:

*O qui res hominumque deumque  
Aeternis regis imperiis, & fulmine terras.*

Quare, cum de caeli tempestate quaerent, dicere solebant:

bant: Τί γὰρ ὁ Ζεὺς ποιεῖ, *quidnam facit Iupiter?* hoc est, *quae-  
nam aeris est tempestas?* in qua phrasi ATTICVM leporē agnoscit  
vir clariss. LVD. KVSTERVS, NOTIS IN ARISTOPHANIS *aves*, p. 196.  
cui simile est illud in *Vespis*, v. 261. ὁ Θεὸς ποιεῖ ὕδωρ, *Deus pluit.*  
Vnde & varia IOVIS nomina, apud graecos poetas: ὕψιβετης,  
*altitonans*, ARISTOPH. *Lysistrat.* 773. Κεραυνοβόρτης, *fulmina-  
tor*, Idem, *pace*, v. 375. Idem, *Nubibus*, v. 366. vbi SOCRATES  
cum STREPSIADE disputans in scenam producitur, per-  
ftricta illius philosophi doctrina, quae IOVEM scilicet vel  
esse neget, vel rerum infra lunam, agere curam. Postquam  
enim dixerat SOCRATES: εἰ ἐστὶ Ζεὺς non est Iupiter: pergit al-  
ter indignabundus: ἀλλὰ τίς ὕει; *quis pluit ergo?* Et paullo  
post: Καὶ, τοι πρότερον ἴδον Δ' ἀληθῶς ἔμην δια' κοσκίνα εἶρεν. *Nam ego  
Iouem antehac censebam per magnum aliquod mingere cribrum.*  
ἀλλ' ὅς τις ὁ βροντῶν ἐστὶ, φράσον, τῆτό με ποιεῖ τετραμαίειν, *Verum  
age, die mihi quis tonat? etenim hoc mihi terrorem incutit ae-  
gro.* Respondet SOCRATES poetae verbis, Ἄνται, βροντῶσι καὶ  
λυδόμεναι, *Hae (nubes) quippe tonant, cum prouoluuntur.*  
Quod quidem ad inuidiam optimo SOCRATI creandam,  
petulans dixit vates.

Apud Latinos IVPITER, qui CICERONIS iudicio, est  
*iuuans pater*, saepius etiam LVCETIVS & DIESPITER solet vo-  
cari, de quo cuncti fere interpretes satis ad hunc locum  
dixerunt. A. GELLIVS lib. V. cap. XII. rem totam exponit.  
*Iouem latini veteres a iuuando appellauere; eundemque alio vo-  
cabulo iuncto, patrem dixerunt.* Nam quod est in elisis aut im-  
mutatis quibusdam litteris Iupiter, id plenum atque integrum  
est Iouis pater. Sic & Neptunus pater & Ianus pater & Mars-  
pater, (hoc enim est Mars piter) itemque Iouis Diespater ap-  
pellatus, id est diei & lucis pater. Quibus familia notauit  
MACROBIUS, & ad hunc locum ACRON. Quanto rectius nu-  
men illud supremum, diei luminumque pater adpellatur a  
IACOBO Cap. I. 17. Quam in rem luculenta etiam sunt ver-



ba THEOPHILI ad AVTOLYCUM lib. I §. X. p. 28. οὗτος θεὸς μόνος  
 ὁ ποιήσας ἐκ σκότους Φῶς· ὁ ἐξαγαγὼν Φῶς ἐκ θησαυρῶν αὐτῆ, ταμίαι δὲ  
 νότι, καὶ θησαυροὶ ἀβύσσου, καὶ ὄρια θαλασσῶν, χιόνων τε καὶ χαλαζῶν  
 θησαυροὶ· συνάγων ὕδατα ἐν θησαυροῖς ἀβύσσου, καὶ συνάγων τὸ σκότος ἐν  
 θησαυροῖς αὐτῆ καὶ ἐξάγων τὸ Φῶς τὸ γλυκὺ καὶ τὸ ποθεινὸν καὶ ἐπιτεργές, ἐκ  
 θησαυρῶν αὐτῆ ἀνάγων νεφέλας ἐξ ἑσπέρης τῆς γῆς, καὶ ἀεραπὰς πληθύνων  
 εἰς ὑέτον, ὁ ἀποστέλλων τὴν βροντὴν εἰς φόβον, καὶ προκαταγγέλλων τὸν κλύπον  
 τῆς βροντῆς διὰ τῆς ἀεραπῆς, ἵνα μὴ ψυχὴ αἰφνιδίως ταραχθεῖσα ἐκψύξῃ,  
 ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς ἀεραπῆς τῆς κατεχομένης ἐκ τῶν βροντῶν τὴν αὐτάρκειαν  
 ἐπιμετρῶν, πρὸς τὸ μὴ ἐκκαῦσαι τὴν γῆν. *Hic ille Deus solus est, qui  
 ex tenebris creavit lucem, qui ex thesauris suis lumen protu-  
 lit: qui praeeparavit receptacula austru, thesauros abyssi, termi-  
 nos marium, niuis & grandinis thesauros: quippe congregat a-  
 quas ex abyssi thesauris, & colligit in suos thesauros tenebras,  
 & lucem suavem, desiderabilem delectabilemque ex promptuariis  
 suis depromit, nubes a terrae extremitate reducit, fulgura in  
 imbrem multiplicat, mittit fulmen in terrorem, fulminisque fra-  
 gorem coruscante fulgure praedicat, ne mens terrefacta subito  
 deficiat: quinimo fulguris caelo ruentis vim contemperat, ne ter-  
 ram comburat. Videntur amare poetae vocabulum patris,  
 quando fulmina, & quae sunt eius generis alia, Iovi suo tri-  
 buunt. HORATIVUS Carm. I. od. II. 1.*

*Iam satis terris niuis atque dirae  
 Grandinis misit Pater: & rubente  
 Dextera sacras iaculatus arces,  
 Terruit urbem:*

*Et VIRGILIUS Georgic. I. 328.*

*Ipse pater, media nimborum in nocte corusca  
 Fulmina molitur dextra: qua maxima motu  
 Terra tremit: fugere ferae, & mortalia corda  
 Per gentes humilis strauit pauor.*

*Aeneid. IV. . . An te genitor, cum fulmina torques  
 Nequicquam horremus?*

Cete.

Ceterum a philosophis haud leuiter de caussa tonitrus, vtrum ad IOVEM, an ad leges naturae sit referenda, disputatum fuisse, multa nos antiquitatis monumenta docent. PYTHAGORAM certe, sic docentem inducit OVIDIVS *Metam.* XV. 67.

- - - magni primordia mundi,  
Et rerum caussas, & quid natura, docebat:  
Quid Deus? unde niues? quae fulminis esset origo?  
Iuppiter an venti discussa nube tonarent?

SENECA *quaest. natur. lib. II. c. XXXI.* fulminibus subtilem atque diuinam inesse potentiam adfirmat. Vnde factum vt IVPITER quasi proprio numine tonans: *ὐψιθεμετῆς* & huiuscemodi nominibus aliis, adpellaretur. Sed laudabilior est nostrorum pietas, qui tam aperta supremae potentiae documenta notant in tonitru, vt argumentum hic validissimum sibi reperisse videantur, quo numen aliquod esse, resque mortalium curare, demonstrent. Fecit hoc vir clarissimus IO. HENR. A SEELEN *dissertatione de tonitru existentiae Dei teste*, quam comprehendunt *miscellanea, quibus commentationes varii argumenti, sacri, philologici, histor. philos. antiq. litterarii continentur, Lubec. 1734. p. 81. . . 121.*

\*\* Poetica tonitrus descriptio his verbis conficitur:

- - - tonantes

*Egit equos volucremque currum.*

uterque *scholiastes* poeticam hanc fictionem agnoscit. Audiamus PORPHYRIONIS verba. *Ex vulgari opinione plerumque poetae sensus concipiunt, velut hic, vbi dicuntur tonitrua strepitus esse currus & quadrigarum Iouis.* Adi HADRIANVM TVRNEBVM *Lib. IX. cap. IX. p. 275. a. 32.* vbi tamen *sonantes equos non tonantes*, siue TVRNEBI follertia, siue operarum incuria nobis exhibuit. Si verum illud est, non patietur HORATIVS hanc mutationem. Quippe *tonandi* vocabulum,

de

de quouis grandiore sonitu latinis vsurpatur, quod vel solus nos docebit VIRGILIUS, apud quem *tonant antra Aetna, lib. VIII. Aeneidos tonat horrificis ruinis Aetna, lib. III.* Quin & DRANCES aliquis *tonat eloquio, lib. XI. & crines effusa sacerdos ter centum tonat ore Deos, lib. IV.* Hic vero apud HORATIVUM ne opus quidem est his ambagibus, quippe ex nugis poetarum, *lovis equi tonant*, hoc est ingens illud murmur pulsu pedum excitant. Vnde SALMONEVS crudeles apud inferos dare poenas dicebatur, quoniam nimbos & non imitabile fulmen

*Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.*

Quem locum plurimi interpretes & ipse etiam TURNEBVS & VIRGILIO recte notauerunt. Originem huic fabulae dedit futilis quorundam philosophorum opinio, qui tonitrua e conflictu *flatum in nubibus*, vel e duabus nubibus inter se collisis, existere putabant, sicut e complofis duris corporibus nascitur sonus. Hoc certe *vetera* ad IUVENALEM *scholia* testantur, p. 355. edit. HENNIN, v, 223. *Physici nam adserunt, ex conflictu ventorum vel nubium, tonitrua vel fulgetra fieri. Nam ex nimio flatu vel certamine ventorum, nubes inter se conlissae tonitrua & coruscas faciunt, ac veluti saxa inter se conlisa ignem excutiunt.* Quoniam veterum de tonitru sententiae fuerint, exponitur a DIOGENE LAERTIO vita EPICURI, cui possis addere LVCRETIVM, SENECAM, PLVTARCHVM, STORAEVM, & denique IOVIANVM PONTANVM, quos iam laudavit felicissimi vir ingenii IANVS BROVCKHVSIVS ad PROPERT. II. XII. Turpis autem est comparatio, qua vitur ARISTOPHANES *in Nubibus* ad illustrandam tonitrus originem, idque in contumeliam SOCRATIS cuius ceteroquin ita recenset sententiam, vt cum EPICURI placitis vbique conspiraret. Nostro saeculo lux maior his *meteoris* adfulsit, observationibus excellentium virorum sollertissimis. Sicut de fulmi-

fulminum exstant origine ITALORVM, SCIPIONIS MAFFEI, PAGLIARINI, & LIONII celebres epistolae. Neq; concedunt illis GERMANI, quorum, in doctrina de *meteoris*, quam defaecatum sit ingenii lumen, e scriptis eorum constat; inter quos eminent celeberr. noster VERDRIESIVS in *physica*, hoc ipso anno tertium recusa. Sicut etiam eruditus sese probavit, quod de *fulminum natalibus* a clarissimo RICHTERO perscriptum est. Adde quae clar. SCHEVCHZERVVS, *physicae parte III. cap. XXV.* notauit, vbi variorum sententiae recensentur.

Porro volucrem istum IOVIS currum adpellat HORATIUS; quoniam *equis albis*, iisque velocissimis, vehi credebatur; quam obseruationem ad illustrandos aliquot poetarum locos, docte transtulit is, quem supra laudauimus, HADRIAN. TYRNEVS *aduersar. lib. XXIII. cap. XXXII.* Quo referri debeat & illud HORATII *Serm. I. Satyr. VII. v. 8.*

*Sifennas Barros vt equis praecurreret albis.*

Quod, simile prouerbio, hinc fortasse tractum est. Nisi veterem ACRONIS, aliorumque sententiam retinere malis: qui experientiam vel opinionem certe romanorum, inuocant, qua equi albi credebantur velocissimi. Potest enim exinde factum esse, vt IOVI *albos* tribuerent, quos curribus aptissimos iudicauissent. *Volucrem* igitur *currum IOVIS* NOSTER adpellat, quod epitheton etiam OVIDIUS curru iunxit, *Trist. III. eleg. VII. v. 15.*

*Ille tibi pennasque potest currusque volucres*

*Tradere, det reditum, protinus ales eris.*

§. XI.

Neque tamen auditum illud tonitru vim tantam in animo vatis nostri habuisset, nisi caelo \* sereno, & praeter morem contigisset. Cum enim negaret EPICURI familia, \*\* posse nubibus remotis, in aere liquido, tale quiddam vel na-

F

sci,

sci, vel ad sensus nostros deferri, nunc oculi auresque contrarium docebant, ac certiores magistri quam gens illa philosophorum, putabantur. Subiicit autem vim tremendam huius tonitrus, quo late omnia \*\*\* concussa sint.

\* - - namque Diespiter  
 Igri corusco nubila diuidens,  
 Plerumque per purum tonantis

Egit equos, volucrumque currum.

Vexauit interpretes vocabulum *plerumque*. Nam libri, tantum non omnes, ita scribunt: *Namque Diespiter igni corusco nubila diuidens, plerumque cet.* Quid ergo? an IVPITER plerumque tonat per sudum, id est sine nubibus? ac non potius illud rarissime cernitur, ita, vt nunquam omnino fieri crediderit EPICVRVS? Fuit igitur, qui nodum hunc solui quam facillime putauerit, si vox *plerumque* notet idem quod *interdum*. Quem sane nigro perfricat BENTLEIVS, & ad veterem errorem, nouum accumulasse, iudicat. Nec sane locus vllus hucusque notari potuit, qui significationem istam huic vocabulo adsereret. Nos in CORNELIO TACITO legisse meminimus, vbi *plerumque*, fere idem posset quod *interdum* significare. Sed locus ille voluentibus diu, seu iam non occurrit, seu fefellit memoria. Considerare tamen lectorem volumus illud HORATII, *Carm. III. od. XXIX. v. 13. plerumque gratiae diuitibus vices* an forte illud *plerumque per interdum* exponi liceat. Itaque TANAQVILLVS FABER, inops consilii, tandem iras colligit, ac verbis detonat in poetam innocentem. Temerarium id esse ac *iuuenile* contendit, nulloque minus, quam FLACCO dignum. Sed nihil tam iuuenile suspicari decebat de illo, cuius aetas octauo lustro propior, & ingenium ab omni meteoris iuuenili purum, ac plane sudum erat. Quamobrem neque gener DACIERIVS, loceri censuram probauit, sed in aliam coniecturam

ram

ram deductus est, quae tamen & ipsa, vati nostro, maculam prope turpiorem adspexit. Namque non serio putat loqui HORATIVUM, sed urbane ac ironice, ideoque data opera rem in maius augere, quo stoicos providentiae patronos, acerbius derideat. Quod utrum conciliare valeat, cum sanctissimis, quae sequuntur in hoc ode sententiis, ipse viderit. Nam si ratio DACIERII valet, necesse foret, ut & illas pro ludo iocoque habuisset HORATIVUS: in quo non satyricus, nec epicureus poeta tantum, sed pessimus deorum contemtor fuisset. Non potest autem ex omni censu carminum eius, vel unica proferri linea, quae deos ipsos, tam impudenter laceffit, & cum eorum sapientiam potentiamque praedicare videatur, tunc maxime deludat & conuiciis infectetur. Quocirca hinc quoque inconsulti recedimus; & felicius responsum a THOMA BANGIO speramus; qui *facula distinctionis lumen adfundit obscuro sermoni*. Siquidem ita distinguit: *Namque Diespiter igni corusco nubila diuidens plerumque, per purum tonantes egit equos cet.* Mirifice probat hoc inuentum BENTLEIVS, sibi que in mentem venisse adseuerat, ante, quam vel nomen BANGII audiuisset. Quod ego quidem verissimum esse crediderim. Ad rem ipsam quod attinet, sane facilis & expedita est hoc modo verborum sententia: *Iupiter qui plerumque, id est ordine rerum consueto, per nubila tonat: idem nunc per purum demisit fulmina & fragores.* Sed ut verum fatear, ne sic quidem, vetus distinctio digna est, quae prorsus pereat. Quin valere potius & hanc nouam potius propulsare quam ab ista propulsari debet; propterea quod vehementiam addit orationi. Sensus igitur est ille: *Namque Diespiter, qui antea, vel alias, e nubibus obscuris fulmen ei aculatur; nunc adeo naturae morem immutauit, ut non semel, aut bis, sed saepius into nuerit sereno caelo; ita ut plerumque nunc fiat, quod alias*

raro; & quod plerumque prius fiebat, nunc, tanquam inuerso rerum ordine, rarius eueniat. Ad tuendam hanc verborum sententiam, duo notanda sunt. Primo suppletur vox prius vel alias, quod sensus profecto, & res ipsa, & vis oppositorum docet. Per nubila tonare ex altera parte ponitur: rursus ex altera: plerumque per purum tonare: illud erat factum praeterito tempore: hoc praesenti; quod nemo dubitat. Igitur oppositorum ratio id postulat, vt ad prius adiungamus in mente nostra, voculam antea, vel alias: ad posterius voculam nunc. Quod & BANGIUS ac BENTLEIUS necesse habent; quando verba sic ordinant: Ille qui plerumque caelo nubilo, nunc puro tonuit.

Verum equidem est quod opponit acutissimus ingenii, BENTLEIUS: quod saepe fiat in non ideo plerumque fieri. Addimus a latinis etiam *saepe & plerumque* sibi opponi: CICERO PRO M. MARCELLO cap VI *etsi per saepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae congratulabere.* Sed illud huc trahere non decebat. Nam HORATIUS ita percussus erat crebritate tonitruum de caelo puro, vt cum acumine vehementius loquatur, ac plerumque iam fieri credat, id est, velut alio naturae cursu, quod antea rarius esset obseruatum. Hoc primum est. Deinde faciunt haec HORATII verba, vt non semel, sed crebrius tunc temporis per ludum tonuisse credamus. Vnum aut alterum eius rei specimen parum valuisset ad peruicaciam epicureae mentis infringendam. Sed idem saepius a poeta notatum, tandem non fecit sed extorsit ei fidem. Id, quo tempore locoque factum sit, ne quaere doceri. Satis est ab HORATIO vel auditum esse, vel certe creditum. Nec omnia huius generis in litteras referuntur. Multo ante, quam haec scriberet HORATIUS, euenisse talia traduntur, tanquam prodigiosa, & ad vindictam IULIANAE necis, ab ira deorum ROMANIS immissa.

immissa. Ergo nihil vetat, quin tunc etiam cum haec primum caneret FLACCUS noster, similia contigisse crederentur. De priori casu nota sunt VIRGILII lamenta *Georg. I. v. 487.*

*Non alias caelo ceciderunt plura sereno  
Fulgura, nec diri toties arsere cometae.*

Tonitru sine nube, manifestum sane portentum foret. Iraque hactenus recte negat EPICURUS, fieri posse, ut per naturae leges id usu veniat. Sicut etiam SOCRATES apud ARISTOPHANEM inducitur, eam deridens opinionem, quae pluere sine nube, nugetur. Πῶς γὰρ πάποτ' ἀνευ νεφέλων ὄντ' ἤδη τεθέασθαι, *Vbi tu Iouem unquam vidisti sine nubibus pluentem?* Itaque passim Ζεὺς αἰθέριος, & Ζεὺς Οὐρανίος. *Iupiter serenus & Iupiter pluuius* distinguuntur. Exhibet tamen illustris SPANHEMIVS nummum quandam praeclarum, in quo IUPITER citra nubem pluens, apparet. Adhibe, si placet *notas eius in Nubes. p. 283.* Sed de tonitru absque nubibus fremente, maior prope quaestio. RAPPOLTVS *ad h. l.* *Itaque cum puro quoque caelo tonantem Deum poeta iam audiuisset, diuinam providentiam agnoscens, nuncium errori misit. Quanquam enim non alia ex causa caelo sereno tonet, quam nubilo, nempe aere inter se colliso; quia tamen id rarius, nec causa aequae cognita, ideo & significantius creditur, magisque percellit animos, & inter prodigia, omnium opinione gentium, certissimaque diuinitatis argumenta refertur. Merito igitur inter portenta Festus enumerat sereno caelo facta tonitrua: merito & Lucanus inter prodigia belli ciuilibus, lib. I.*

*Emicuit caelo tacitum sine nubibus ullis  
Fulmen.*

\*\* LYCRETII versus, qui manifesto negant, quod isto de fulminum genere vulgatum esset, a pluribus ante nos obseruati sunt. In quo scientiae naturalis consultos, vix re-



fragantes habebit. Nam e lib. VI. huius poetae ista peruulgata sunt :

*Fulmina gignier e crassis alteque putandum est  
Nubibus extinctis. Nam coelo nulla sereno  
Nec leuiter densis mittuntur nubibus unquam.*

Idemque alibi, ad explodendam eorum opinionem qui fulmina IOVI tribuerent :

*Denique cur nunquam coelo iacit undique puro  
Iuppiter in terras fulmen sonitusque producit ?*

Cui suffragatur, notante CHABOTIO, ARISTOTELES, *Meteorolog Cap. IX* ubi tonitrua nasci, docet, quando coelum fit ἐπινέφελον, αἰθέρας δὲ ἕως ε' γίγνεται, caelo puro nunquam existere. Atque hoc longe verissimum esse, quis dubitet? Multa superstitiose, de fulminibus ex aere sereno, conficta fuisse, vel a sacerdotibus vel a vulgo, quis abnuat? At in eo fallitur epicuri domus, quod nec velle quidem aut curare DEVM talia, contendit; ac portenta omnia pertinaciter e rerum natura profligat, vel, vt ait MANILIUS lib. I. v. 104.

*Eripiuntque Iovi fulmen viresque tonanti.*

Nam & reliqui philosophi praeter naturam id esse fatebantur, & in libris augurum id pro monstro notabatur, sicut ad hunc locum notauit LANDINVS. Ceterum haec tonitrua, sine nubibus dissilientia, interdum laeui ominis putabantur, vt ex adducto VIRGILII loco facile perspicitur: interdum quoque fausti, quod OVIDIVS docet *Fastor. III. 363*. ubi preces NUMAE consequuta dicitur eiusmodi tempestas:

*Atque ita, tempus adest promissi muneris, inquit,  
Pollicitam dictis, Iuppiter, adde fidem,  
Dum loquitur, totum iam sol emerferat orbem:  
Et grauis aethereo venit ab axe fragor.  
Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit.  
Credite dicenti, mira, sed acta loquor.*

*A media*

*A media caelum regione debiscere coepit,  
 Submisere oculos cum duce turba suos.*

Adde VIRGILIVM *Aeneid. VIII. 524.*

*Namque improviso vibratus ab aethere fulgor  
 Cum sonitu venit, & ruerè omnia visa repenti  
 Tyrrhenusque tubae mugire per aera clangor.  
 Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.  
 Arma inter nubem caeli in regione serena  
 Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.*

Quae monstra deorum ad rem faustam postea refert AENEAS,  
 Quibuscum & XENOPHON conspirat, sicut ab aliis recte no-  
 ratum est. Consule HADR. TURNEBVM *aduers. lib. IX. cap. IX.*  
 & *cap. XIII.*

\*\*\* v. 9.

*Quo bruta tellus, & vaga flumina,  
 Quo styx & inuisi horrida Taenari  
 Sedes Atlanteusque finis  
 Concutitur.*

Cum & alias IOVI talis potentia tribuatur, vt nutu suo cun-  
 cta mouere possit: eandem quoque vim in operibus na-  
 turae agnosci vult HORATIVS. Scribit enim OVIDIUS, vel so-  
 lo capillorum motu, cuncta in tremorem ab IOVE con-  
 uersa, *Metamorph. I. 178.*

*Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburneo  
 Terrificam capitis concussit terque quaterque  
 Caesariem, cum qua terram, mare, sidera mouit.*

Igitur hoc ipso pungit rursus EPICVREOS, quando IOVIS im-  
 perium & gubernationem in ipsam terram, flumina, sty-  
 gem & extremos terrae montes extendit. Non moramur  
 in verborum interpretatione, quae iam pridem ab aliis prae-  
 repta est. *Atlanteus finis* quid significet, non adeo pla-  
 num est. Possis enim supremum cacumen eius montis in-  
 telli-

telligere; quod haud incommode *finis*, hoc est *meta*, *apex*, *extremum fastigium*, diceretur. Tantoque maior tonitruum vis adpareret, si tanti montis ipsum verticem, narrantem tibi proponeres. Et nisi admodum fallor, vocabulum *finis* eadem libertate noster variauit, qua GRAECI suum ἄκρον, hoc enim interdum id significat, quod *extremum* est, interdum *cacumina suprema*, sicut aliarum rerum, ita & *montium*. Sic τὰ ἄκρα *finis* ac terminos, τὰ πέρας, notat, idemque etiam *cacumen*, seu *verticem*: ut est apud HOMERVM: Ἀργονίδης ὑψηλῆς, *cacumen Idae celsae*. Sed nemo, quod ego sciam, sic exposuit. *Finem* terrae potius adspiciunt, quem in illo monte veteres, versus occidentem ponebant. Quare terminus mundi occiduus hoc epitheto, *finis Atlanteus*, distinguetur, ab altero fine, versus orientem, VIRGILIUS *Aeneid. IV. 480.*

*Oceani finem iuxta solemque cadentem,  
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas  
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.*

Atque ita saepius NOSTER finem, *singulari numero*, de termino loquens, posuit. Sic *finem destinatam rapacis orci*, habemus *Carminum lib. II. od. XVIII. v. 30.*

## §. XII.

Cognita numinis potentia, ex iis quae in caelo se offerebant; iam eandem, in administrandis rebus \* humanis, notat ac praedicat, resipiscentis HORATII carmen. Hinc enim esse confitetur, quod tanta in extollendis \*\* ac deprimendis mortalibus varietas, tamque mirabilis interdum commutatio rerum omnium conspiciatur, id quod EPICYREI caeco caesui tribuere, non dubitabant.

\* v. II.

- - valet ima summi

*Mutare est insignem attenuat Deus,**Obscura promens.*

Ni-

Nihil sanctius praedicari de numine poterat, Nam & ho-  
 mines caelesti spiritu adflati, suis in hymnis talia cecinerunt.  
 VT MARIA, *Luc. I, 51.* ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτῆς, διεσκόπη-  
 σεν ὑπερηφάνους, διάνοια καρδίας αὐτῶν. v. 52. Καθέειλε δυνάστας ἀπὸ θρό-  
 νων, ἢ ὑψωσε ταπεινούς. *Exercuit robur brachio suo, dissipauit tur-  
 gidos cogitatione mentis suae. v. 52. Detraxit potentes de solis,  
 & extulit humiles.* Quorum similia lyricus ebraeorum va-  
 tes, sanctissimo plenus spiritu, passim modulatur; locos  
 a GROTIO notatos inspicere. Putat CHABOTIVS ipsum haec  
 ab EBRAEIS accepisse FLACCVM. Quod nescio an certo sa-  
 tis constare possit. Nam quod ratio philosophos, & ex-  
 perientia sanos, & sensus prope communis, barbaros  
 docere poterat, id in promptu erat hominibus, qui nun-  
 quam vel sacra volumina, vel ebraeos testes, vel ab ebraeis  
 edoctos philosophos, consulissent. Nos ipsam HORATII  
 phrasin illustrabimus: *valet ima summis mutare Deus.* Mu-  
 tandi vocabulum saepe sic adhibet *Noster*, vt id, quod casu  
 quarto adiungitur, rem denotet occupandam, id est eam,  
 quae in locum rei per mutationem translatae, succedat: con-  
 traque, quod casu sexto additur, rem facta mutatione re-  
 lictam, dimissam, & in alium quasi locum vel possessio-  
 nem traditam. Id quod in praesenti quidem loco non fa-  
 cile intelligitur, quoniam si *summa imis mutari* dicas, per-  
 inde scriptoris mens appareat, vtram ex duabus vocibus in  
 sexto vel quarto casu ponas. Sed aliis in locis discrimen  
 attendi potest, ac debet interdum, nisi te falli in expo-  
 nendo sensu, cupias. Sic *Carminum lib. I. od. XVII. 1.*

*Felix amoenum saepe Lucretilem*

*Mutat Lycaeo Faunus.*

Mutat *Lycaeo Lucretilem*, id est illū relinquit, hunc petit. Quod  
 genus loquendi non singulare aut rarum est, aut figuratum,  
 sicut existimare videtur PRISCIANVS *lib. XVIII. 711.* sed ad-

G

modum

modum frequens HORATIO ; inspicere *Carm. III. od. I. v. 47. valle Sabina non muto diuitias, Sermon. lib. II. Sat. VII. v. 110. vnam mutare strigili.* In primis vero notandus est locus *Carm. II. od. XVI. v. 18. 19. Terras alio sole calentes mutare, (tellure patria)* quod posterius non expressum ab ipso vate, sed legenti tamen suppeditatum, fefellit multos non de vulgo sane, explicatores; inque illis HENRICVM STEPHANVM, tam bene ceteroquin hoc in genere versatum. Sed OVIDIVS quoque sic dixit. *Metam. lib. VIII. v. 448.*

- *auratis mutauit vestibus atras.*

Et M. T. CICERO *epist. ad famil. lib. X. epist. II. mortem cum vita commutare*; Et CURTIUS *lib. III. XVII. Sifenes exsiliū patriā sede mutauerat*: Idemque *lib. IV. cap. I. §. 22. de ABDOLONYMO: vestem regiā cum squallore permutare.* Alia legi possunt apud PRISCIANVM *d. l. Verum de isto iam nimis multa.* Superest, vt natales exquiramus eius formulae; *Summa imis mutare.* Imus in graeciam, vel nullo signante viam. Quis enim dubitet in animo fuisse scriptori nostro, illud ARISTOPHANIS *Lysistrat. v. 773.*

- - τὰ δ' ὑπερταρα νεστερα θήσει  
Zeus ὑψιβεμέτης.

tunc & *supera ima locabit Iupiter altitonans.* Vtrobique Iupiter, utrobique tonans, utrobique *summa* vertuntur *imis.* Et HORATIUS graecorum ore semper fere locutus est, praefertim poetarum, inter quos ARISTOPHANEM sibi notissimum esse, non dissimulat *Sermon. lib. I. Sat. IV. v. 1.*

*Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque, poetae.*

Neque vero, ( vt extremum et hoc addamus, ) necessarium arbitramur, vt de rebus humanis, et varia mortalium sorte, interpretemur haec vatis nostri verba: *valet ima summis mutare Deus*: sed magis fere menti scribentis conuenit, vt de rerum natura communiter intelligamus; *Deus hoc uniuersum*

uersum vertere ac miscere valet, quod facturus videtur, quoties tonat ac fulminat. Nam si cogitatio tonitrus ac fulminis animum HORATII subibat, statim se sociam adiungebat cogitatio conuulsi huius mundi, fracti delapsique caeli, vt in illo *Carm. lib. III. od. III. v. 6.*

*Nec fulminantis magna manus Iouis:*

*Si fractus illabatur orbis*

*Inpavidum ferient ruinae.*

Ita si verborum sensum adornamus, iam commodius vates noster, a toto ad partes progreditur, & res etiam humanas imperio diuino subiicit, de quo proxime sequitur.

\*\* v. 13.

- *Et insignem attenuat Deus*

*Obscura promens.*

Ab ARISTOPHANE, cuius modo verba recitabantur, vterius nunc ad HESIODVM vatis nostri cogitatio migravit. Haec enim ex isto poeta sumfit, quemadmodum facundissimus ad hunc locum annotauit MVRETYS. Adscribemus integrum HESIODI carmen, vt, quae proxime nobis disputanda restant, eo facilius expédiantur. Scribit autem antiquissimus graecorum vates, idem de IOVE, *Egy. & ημερ v. 3.*

ὄντε δια, βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἀφατοὶ τε φατοὶ τε,

ρήτοὶ δ' ἀρεστοὶ τε, Διὸς μεγαλοῖο, ἐκητι

ρεῖα μὲν γὰρ βεῖαιε, ρεῖα δὲ, βεῖαιοντα, χαλεπῆε'

ρεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἀδῆλον ἀέξει

ρεῖα δὲ Ἴδῆναι σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρσει

Ζεὺς υψιβερέτης, ὃς ὑπέρτατα δάματα ναίει

*Per quem mortales homines pariter obscurique sunt & clari.*

*Nobiles ignobilesque Iouis magni voluntate fiunt.*

*Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit.*

*Facile praeclarum minuit, & obscurum auget,*

*Facileque corrigit prauum, & superbum attenuat*

*Iupiter altitonans, qui supremas aedes incolit.*

Quin

Quin ex HESIODI versu sexto, noster suum expresserit, vix dubitandum est. Nam *v. 6.* est: ἀρίζηλον μινύθει *insignem attenuat*; εἰ ἄδηλον ἀέξει, *obscurum auget*. Prius agnoscit BENTLEIVS, posterius vltro se legentibus offert. Paulo tamen aliter sentit vir ad sempiternam laudem insignis IO. GE. GRAEVIVS *lectionibus Hesiodicis ad b l.* vbi illud potius ab HORATIO spectatum esse iudicat, quod versu septimo legitur: ἀγήνορα κάρφει: *Versiones inquit, vulgatae: superbum contrahit. Alii desiccant: inepte. Recte Proclus ostenderat, κάρφειν hic esse εὐτελή ποιῆν καὶ ταπεινόν. Vertimus cum Horatio, attenuat, qui hunc locum expressit.* Vix equidem crediderim HORATIUM ad verbum κάρφει potius respexisse, quam ad integrum versum sextum: quamvis significatio vocis haud multum discrepet, vti PROCLUS modo docebat. Sed in altera phrasi: ἡέλιος χροσὶ κάρφει, quae ad eandem significationem adducta est, vox κάρφει rectius nostro iudicio per *exsiccant*, quam *attenuat*; exponetur: nec proinde tamen hoc HESIODI loco GVIETVS rem acu tetigit, vbi τὸ κάρφει per *arescit*, interpretandum existimavit.

Verum aliam in HORATIO difficultatem BENTLEIVS nobis obiicit, qui pro *insignem* substituit *insigne*, nullius codicis argumento suffultus, praeter REGINENSIS, cuius *variā tūmen lectionem* dissimulare non potest. Causam corrigendi habet istam: omnia sunt eiusdem formae si legimus *insigne, obscurum, ima, summa*: Vetus lectio *insignem* ceteris omnibus diuersi generis interposuit. Quae postea vir doctissimus, eandem in sententiam ex vtroque SENECA & AVSONIO attulit, omne punctum ferunt. Sed lectionem novam haud persuadent. Cum enim ad vulgatos codices, testis accedat HESIODVS, quem ipse BENTLEIVS, huius sententiae parentem agnoscit, quis est, qui tali rerum facie quidquam mutandum arbitretur? Adde quod in eodem argu-

mento,

mento, *insignes & imos* sibi opposuerit HORATIVS, *Carm.*  
*lib. III. od. 1. v. 14.*

- *aequa lege necessitas*  
*Sortitur insignes & imos,*

*Omne capax mouet urna nomen.*

Felicioꝛ itaque mihi DACIERIVS coniectando videtur, qui, HORATIVM, existimat, pariter in altero vocabulo poetam graecum expressurum fuisse, vt *obscurum* scriberet, sed necessitatem carminis id vetasse. Ceterum *obscura* idem esse quod *homines obscuros*, nullaque vel dignitate, vel rerum copia insignes, facile res ipsa docet. Solent autem poetae, non tantum carminis legibus hoc indulgere, vt *neutrum genus* pro *masculino* vsurpent, sed efficaciae quoque sermonis Monebit hoc OVIDIVS *Metam. X. v. 32.*

*Omnia debemur vobis, paullumque morati*  
*Serius aut citius sedem properamus ad vnā.*

*Tendimus huc omnes, haec est domus vltima, vosque*  
*Humani generis longissima regna tenetis.*

vbi manifesto poeta, quid per *omnia* designauerit, sequentibus verbis declarat: *Omnes, & humanum genus.* Forte huc etiam referendum, quod BERGMANNVS ex HERODOTO notauit: *Φιλῆν ὁ Θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.* Solet Deus quicquid prominet amputare, id est insignem attenuare.

§. XIII.

Quae, tam splendide vates noster, de numinis potentia, & sapientissima rerum humanarum cura, praedicauit, eadem, velut oblitus sui, rursus euertere videtur, vbi repente FORTVNAE \* tribuit, quod modo numini supremo vindicabat. Verum in hoc eatenus excusari potest, \*\* quatenus vulgata loquendi ratio, id nominis ipsi suggestit, quo non tollere quod ante dixerat, sed declarare potius, vel ad vulgum sensum accommodare, putandus erit.



\* v. 14.

*hinc apicem rapax  
Fortuna cum stridore acuto*

*Sustulit, hic posuisse gaudet.*

Haec verba finem carmini, sed multam quoque sermoni noctem adferunt, quam neque discussit quisquam ante hunc diem, neque nos, obscuriores ipsi ceteris omnibus, hinc depellemus. Nam quis *apex* iste quem fortuna tollit ac ponit? quis *stridor acutus*, qui positum & sublatum apicem comitatur? & quae tandem imago vatis ingenio tunc oberravit, quam verbis hoc loco pingit? prope timeo, ne verum sit, quod excellentis vir doctrinae, IO. CLERICVS obiecit HORATIO: esse interdum, vbi verba sine sensu fundat, & ferueat magis, quam disputet. Ita est nimirum; non semper verborum lex tam rigide seruetur a poetis; vt non stringi seuerius orationis vincula, ac impetus animo prorumpens, via rectiore ad metam protrudi debeat ac possit. Verum si non vbique, plerumque sane cauit hoc FLACCVS noster, & cauent cum illo quotquot castigatam poësin colunt vel admirantur. Quamobrem non dubitamus, quin omnibus huius sententiae verbis, certa quaedam in HORATIO mente, figura respondeat; sed istam nimis celauit ac remouit a sensibus oculoque lectoris. Inspiciamus primum *apicem*. Inesse *metaphoram* huic voci, nemo non agnoscat: at vnde petita sit, non adeo liquet. CHABOTIVS ad *ornatum flaminum* se recipit, qui *focculos lanae, vel panni serici, in vertice pilei habuerint, ad auctoritatem ac dignitatem indicandam: quomodo sumitur in Catone maiore apex autem senectutis est auctoritas*. Quod si *stridor acutus* non ipsi rei, quam adimit fortuna, sed dentibus aut alis fortunae, vel planctibus miserorum tribuendus est, non reprehendet quisquam CHABOTIVM, praesertim si pariter VIRGILIVM audiat, *Aen. VII. 664.*

La-

*Lanigerosque apices, & lapsa ancilia caelo.*

Apud eundem poetam *leuis summo de vertice Iuli Fundere lumen apex dicitur, Aen. lib. II. v. 682.* Sed quicquid huius rei sit, vix adducor, vt ad *flamines* respiciam, & ab his apicem HORATII deripiam. Videor enim haud immerito posse dubitare, vtrum in ipso potius apice *stridorem acutum*, quam in fortuna, vel in iis, quos fortuna laeserit, audiendum putem. Atque, nescio quid ad spiritum carminis desit, si poeta lanas sacerdotum, ad facinus tam illustre superantis fortunae trahat, & non altius quiddam, ac magis insigne sub hoc vocabulo recondat. Quid ergo? ad sensum conspirant interpretes prope cuncti. *Honoris sublimitatem*, PORPHYRION, *summitatem potestatis* ACRON, ac ceteri deinde, collectis veluti suffragiis, interpretantur: nisi quod aliquis non honoris tantum, sed etiam *copiarum amplitudinem* sub eadem voce comprehendat.

Forte certior cuiquam ista ratio videtur, quae apicem eiusmodi depictum ab HORATIO, contendat, quo stridor cieri possit; & qui, summis inter populos ductoribus, attribuat. Hic vero nihil nobis insigne, praeter *galeas*, aut excelsos regum thronos, aut his similia quaedam, offertur. Quocirca sic FORTUNAM sibi proposuerit vates noster, vt eam, ira non leui concitatam, intueretur, impetu celerissimo, summaque violentia deripientem alteri, quo mox alterum ornare possit. Qualis Harpyia rapacissima, praedam aufert, in alium inde locum deportandam. Ita igitur fortunam *potentem, saeuam, violentam, celerrimam, volubilem*, hac descriptione nobis ob oculos proponit. Deinde, cum *apicem rapit*, id vero nihil aliud est, quam quod ipsos reges, principes ac duces adgreditur; namque in *oda sequenti v. 12.* eandem fortunam

*purpurei metuunt tyranni.*

Non

Non omittendus est alter poetae locus qui nonnihil huc luminis adfundit, *Carm. III. od. XXI. v. 20.*

*Post te neque iratos trementi*

*Regum apices, neque militum arma:*

Non *apices* ibi *regum* sunt mucrones, quibus mortem imitantur: nam nec satis aptum foret hoc epitheton ad reges, quod statim militibus iungitur: *neque militum arma*. Itaque non male BERSMANNVS: *apices, diademata regum iratorum, dignitatem & potestatem regiam iratam*. Sane alibi *diadema regum* ab HORATIO memoratur *Carm. II. II. 21.* Sed illa *diademata* vel *fasciae* non admodum ad fridorem acutum pertinebunt. CHRIST. LANDINVS *regum apices iratos*, exponit, *reges in excelsis locis positos*: Verum & illud subobscurum est ad vocem; quanquam ad sensum satis commode dicitur. Sed *apices* quoque de *galeis*, vel, ut VIRGILIUS habet, *de cono insignis galeae*, (quo dux NEOPTOLEMVS superbierat, leguntur. Sic enim CLAUDIANVS in phoenice:

*Talis barbaricas fluuio de Tigride turmas*

*Ductor Parthus agit: gemmis & diuite cultu*

*Luxurians: fertis apicem regalibus ornat.*

*Auro frenat equum, persusam murice vestem*

*Assyria signatur acu, tumidusque regendo*

*Celsa per Tyrias acies ditioe superbit.*

In ductore PARTHO praecipuum ornamentum est apex ille, quo inter vulgum eminent. Sic apex laudatur Aeneae, a VIRGILIO *Aen. XII. 492.*

- - - *apicem tamen incita summum*

*Hasia tulit, summasque excussit vertice cristas.*

ubi apex a *crista* palam discernitur, nec potest proinde, ipsa pro *crista*, sicuti quidam voluerunt, accipi.

Porro, hunc apicem fortuna rapere dicitur cum *fridore acuto*. Dubius respondet ACROX cum isto de fridore consultitur.

confulitur. *Acuto*, inquit, hoc est *luctuoso illis* ( quos orbauerit honore suo ) *sive sonoro*, ut: non sic geminant *Corybantes aera*. PORPHYRION autem de gemitu ac fletibus exponit: *Cum stridore acuto*, hoc est *cum fletibus*, & lamentatione, sed non sua, verum eorum, quibus apicem, id est dignitatem aufert. Sed HERMANNVS FIGVLVS stridorem hunc pennis fortunae tribuit; quia pennatam & volucrem fortunam praedicant. HORATIVS: *Si celeres quatit pennas, refigno quae dedit. Quae ceteris nequaquam inferior est commentatio. Id obseruari tamen licet, acutum eiusmodi sonum, aere cieri apud HORATIVM: vnde ipsum aes acutum vocat, Carm. lib. I. od. XV. v. 7.*

- - - acuta

*Sic geminant Corybantes aera.*

Adde OVIDIVM, *Metamorph. VI. 589. de bacchis:*

*Nocte sonat Rhodope, tinnitibus aeris acuti.*

Talis igitur est stridor acutus, qui geminato, id est comploso aere, vel durioribus aliis, sibimet acriter illisis corporibus, per auras fertur. Sic legimus apud HESIODVM *Ασπ. Ηρακλ. v. 248.*

- - - αι δε μετ' αυτες

*Κηρες κυανειαι, λευκες αραβεισαι ιδοντες*

*Post ipsos autem Parcae nigrae, candidis crepantes dentibus.* & v. 235. *εχαρασσαν ιδοντας, frendebant dentibus*, ut recte translulit GRAEVIVS *Lect. Hesiod. p. 92.* vbi vox utraque, & *αραβεισαι* & *εχαρασσαν* a stridore quodam armorum in terram decidentium, vel collisi cum ferro lapidis, vim significandi deduxit. Sed quorsum tandem ille stridor? certe quidem fortunae tribuendus est, aut frementi, aut sonitum apice rapti, excitanti. Afflictis & saeuitem fortunae deplorantibus, haud conuenit; quia, si id esset, non stridor, sed plangor, ploratus, aut simile quid adpellaretur. Sicut *acutis*

H

*vlulatus*

*ululatus*, dixit CATULLVS, p. m. 25. & *hinitus acutos* habet VIRGILIUS *tertia Georgicorum*.

\* CHABOTIVM id male habet, quod noster tam subito DEVM in fortunam conuerterit, eoque insaniam epicureorum de nouo prodat, quam modo tam acriter detestatus sit. Mira sane catastrophe: si talis in animo vatis secuta est, qualem haec verba denunciare creduntur. Sed mitius agemus cum suspecto. FORTYNAE VOX non eodem animo omnibus adpellatur. Vulgus graecorum ac romanorum, aliquam sibi DEAM fingit, quae mira temeritate, sed ineluctabili tamen potentia, res hominum misceat ac voluat. Causae huius figmenti, sicut plerorumque, poetae: qui et ipsi tamen, si praeceptis erant philosophicis instructi, nihil minus quam illam in orbe stantem fortunam, pro numine tam late regnante, proq; causa tot ac tantorum euentuum reputandam esse, iudicabant. EPICVRVS haud dubie id fortunam dixit, quod euentum aliquem, non praeuisum, in hac mundi machina gignebat. Omnes autem euentus a legibus naturae sciebat proficisci: DEVM in his legibus agentem, semperque nouas mutationes occulta vi molientem, haud agnoscebat. Eam ob causam eius scita tam male audiunt. Contra STOICI necessitatatem rebus inducebant, ac naturae leges non arbitrio DEI, sed illarum arbitrio DEVM submittere gaudebant. Quamquam id verbis aliqui mitigarent, *semel dixisse Deum, semper parere*, causantes. Vtrisque, moderatior secta philolophorum intercessit, quae imperium huius mundi, prouido numini tribueret; naturae leges haudquaquam aboleret, nisi quod potentior aliquando DEI manus, istas vel suspendere, vel immutare posset. Id HORATIVS, tonitru commonefactus plane infueto, et vix ante credito, didicerat. Hinc IOVIS, vel DEI potentiam tanto ardore celebrat. Illius numine cuncta re-

gi

gi fatetur, quae vel in caelo vel in terra, vel in hominum vita, sorte, negotiis, eueniant. Ceterum quia nosset HORATIUS, quod vulgus, & vulgi doctores, poetae, vim illam diuinam in gubernandis rebus adparentem, *fortunae* trito vocabulo designarent: liberum ipsi fore, credebat, suam de gubernatione diuina mentem, vtroque modo, & philosophico, & vulgari ostendere; lectoremque, siue sapientem, siue plebeium, id quod vellet, intellecturum esse, confidebat. Ita cum vatibus & vulgo loquitur, & sentit cum sapientibus. Quam in sententiam & oda subsequens de FORTVNA ANTIANA interpretatanda est. Nam quae ibi potentia fortunae, eadem hic DEO tribuitur. Alterum ex altero debet intelligi: & quod vtroque est sapientius, id virum quoque sapientem, & *insanientis sapientiae* dum ita scriberet osorem, statuisse, credendum est. Nec ista de re multum dubitabit, qui locum alterum euoluere dignabitur, *Carm. lib. III. ode IV. v. 42.*

- - *scimus vt impios,*  
*Titanas immanemque turbam,*  
*Fulmine sustulerit caduco,*  
*Qui terram inertem, qui mare temperat.*  
*Ventosum; & umbras regnaque tristia,*  
*Diuosque, mortalesque turbas.*  
*Imperio regit vnus aequo.*

Ecce ibi IOVEM fulminantem, cui brevis quidem, sed tanto grauior sententia, rerum naturam & mortalia facta tribuit, plane sicut in nostra, quam explicamus, oda factum est. Vidit hoc LANDINVS: sed dum mentem vult HORATII curare, sermonem vulnerat. Quippe hinc exponit: ab eodem Ioue: & paullo ante haec verba: quasi dicat Horatius, nos omnia imputamus fortunae, quasi casu & fortuna cuncta proueniant. Sed quicquid potest fortuna, a Deo potest, cuius

*ius nutu cuncta reguntur.* Sed quis poetae nitidissimo tam incultam orationem obtrudat: *Fortuna* hinc, id est ex arbitrio *IOVIS*, tollit apicem, hic, id est in hoc loco ponit? An non, quoties haec duo vocabula sic sibi respondent, utrumque de loco adhibetur, a quo res aliqua, & ad quem tendit? Aut *LANDIVS* forte utrobique legit *hinc*? Scilicet illepide, nulloque teste. Atque sic excusabitur haud incommode vates noster, qui, si non ita res esset, aut stupidissimus hominum, aut pessimus certe numinis irrifor exstitisset. Quod, si quis tamen cum *DACIERIO* plane sibi persuaserit, per nos certe credat, nec enim oppido pugnamus. Consulendi tamen erunt *IODOCVS* *BADIVS* *ASCENSIVS*, cuius haec est interpretatio: *Fortuna rapax: quae tamen nihil facit, nisi permittente Deo, aut ita nobis ignorantibus ordinante. Aliter enim non videretur huic loco congruere. Nam Epicureos damnat, qui in fortunae casibus omnia ponunt. Nisi dicamus more poetico ipsum haereses miscere, sicut Maro facit, ubi dicit: Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum: Et GEORGIVS BERSMANNVS qui haec adscripsit; Fortuna, quae administra Dei, secundum Pla.* Verum haec haec hactenus. Tempus monet vela colligere, ac susceptos nunc sistere cursus. In quibus, si quando aberratum est, nihil recusabimus, quin retrorsum vela demus, ac iterare placeat iter relictum. Primus enim est mortalium, qui non errat, proximus, quem poenitet erroris.

Nimia festinatio, & operatum incuria sphalmata passim peperit, quorum nonnulla se fortuito nobis obtulerunt, cetera benignus lector in meliorem partem interpretabitur.

pag. 6. lin. 3. lege 13.

- 7. - 25. - sanctioribus.
- 16. - 7. - Rittershusius.
- 18. a fine 7. - Gassendum.
- 25. - 8. 9. - Eu angelium.
- 25. lin. 15. - soluerit.
- - 20. - vis & auctoritas.
- 28. - 20. - ipsa ratio.

pag. 29. lin. penult. lege Daumio.

- 30. a fin. 3. - promens.
- 32. - 6. - Sis propitius.
- 39. - 12. - proprio nomine.
- 43. 6. - hac ode.
- 43. a fin. 6. 1. - citius propulsare.
- 44 14. - id non ideo.

*VIRO IUVENI NOBILISSIMO*

**P. C. LIST,**

LAVRVS PHILOSOPHICAE CANDIDATO  
DIGNISSIMO

S, P, D.

**IO. HERM. BENNER.**

**A**nnus effluxit, & quintus inde mensis agitur, cum in eandem cathedram ascenderemus, quae denuo nobis occupanda est. Tunc equidem S. PAVLLI dolores exponebas, nunc FLACCI poenitentiam consideras. Vtriusque te conaminis haud poenitere debet. Illud in sacris, hoc in amoenioribus litteris, haud mediocriter te profecisse, palam confirmat. Neque nihil ad sanctiores doctrinas adfert, qui naturae vim perspexit, & quantum illa possit ad pietatem, immo quantum deficiat sibi permessa, huiuscemodi do-



cumentis exploravit. Quid est igitur, quod ver-  
bis ambitiose te commendem? Rerum testimo-  
nia pro me loquuntur, quae plus valent ad ve-  
ram laudem, quam ilias immensa praeconiorum.  
Equidem haud dubito, quin praemia sis propedi-  
em doctrinae tuae, virtutumque, consecuturus.  
Quin, habes illa iam nunc, quae sunt ad memo-  
riam temporum, ceteris facile cunctis illustriora;  
doctrinam, virtutem, honores, eosdemque su-  
premos in censu philosophorum. Ego tibi, &  
ista, & quicquid istis ad cumulabit paterna DEI bo-  
nitas, impense gratulor, numenque precor infi-  
nitum, ut proxime tibi campum aperiat, in quo  
multos, ex praescripto CHRISTI resipiscere, & a  
pelago vitiorum retro dare vela, doceas. Vale.

Dabam Giffae X. Kal. Septembr.

MDCXXXV.



Was

**W**as Ten gepflantzet hat  
 Und Gießen stets begossen/  
 Darzu kam früh und spath  
 Gedenen zugeflossen.  
 Er hat recht wohl studirt/  
 Sein Pfund wohl angewendet/  
 Den Krantz/ der Ihm gebührt/  
 Hat GOTT Ihm zugesendet.

Mit herzlichem Wunsch alles ferneren gött-  
 lichen Seegens aus der Gnaden - Fülle  
 Jesu Christi schrieb dieses seinem werth-  
 geschätzten Herrn Vettern

**Friedrich Wilhelm List/**  
 Pfarrer in Ostheim bey Butzbach.

**P**oenituit Petrum: sacro id sermone docetur:  
 Sed Flaccum nemo poenituisse docet.  
**T**Vne doces? reddet Flaccus TIBI ferta magistri,  
 Pastoris vestis mox dabiturque TIBI.

*Ex sincero animo haec  
 scribebat*

IOANNES CONRADVS EBERVVEIN,  
 Pr. Class.

**D**u eines Donners Stimmi <sup>a)</sup> in auffgeklärter Luft /  
 Hier einen blinden Heyd zur Sinnes- & Aendrung rufft ;  
 Wie? daß denn Gottes Stimmi im Worte der S'nas  
 den / <sup>b)</sup>

Das sichre Christen- Volck nicht kan zur Buß ein-  
 laden.

**G**ott / der ein Brunn des Lichts und aller Gaben ist / <sup>c)</sup>  
 Schenck Ihnen Licht und Krafft / Hoch werth-  
 geschätzter List !


Daß Ihre Worte einst zu einem Feuer werden / <sup>d)</sup>  
 Das harte Herzen treibt zum Himmel von der  
 Erden.

a) Apoc. XIX. 6.      b) Ebr. XII. 25. 26.

c) Iac. I. 17.        d) Ier. XXIII. 29.

Hiermit wolte, nebst Anwünschung des  
 göttlichen Seegens von oben, dem  
 Herrn Candidato seine Hochachtung  
 bezeugen

Anonymus.




JOHANNES CONRADUS EBELING.  
 P. C. P.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn876140452/phys\\_0068](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn876140452/phys_0068)



IURIBUS VETERUM PRINCIPUM REGALIBUS.

Od. XI, 183 — 186.

δ' ἔπα τις ἔχει καλὸν γέρας· ἀλλὰ ἔκηλος  
μαχος τεμένη νέμεται, καὶ δαΐτας εἴσας  
νται, ὡς ἐπέοικε δικαστόλον ἀνδρ' ἀλεγύνειν  
ιτες γὰρ καλέεσσι

nt verba Anticleae, matris Ulyssis, in νεκυομαν-  
s apud inferos oraculorum causa secundum poe-  
ationem degeret. Quaesierat nimirum Ulysses ex  
dudum mortuae piis manibus cum alia tum

ε δε μοι πατρός, καὶ υἱέος, ὃν κατέλειπον,  
τι παρ κείνοισιν ἐμὸν γέρας, ἢ εἰ τις ἤδη  
ρῶν ἄλλος ἔχει, ἐμὲ δ' ἔκ' ἔτι φασὶ νέεσθαι;

etiam de patre et *de filio*, quem reliqui, utrum  
ud illos meum munus, an aliquis iam virorum  
eat, me autem non amplius dicant reverti?"

let itaque matris umbra locum supra laudatum,  
otenus hīc vertendum esse duxi:

vero nondum quis habet pulchrum munus; sed  
Telemachus dominia colit, et convivia aequalia